



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXV. De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Aduerte propter dubium, num sub speciebus aquae separatis remaneret Christi sanguis, si conflaret species aquae seorsim à speciebus vini consecrati existere, debere cum omni reuerentia tractari, vel eas sumendo immediate post Christi sanguinem, vel decenti loco reponendo, donec corrumpantur.

Obijciunt 6. aqua non est de necessitate Sacramenti, ut constat; ergo non potest immediate converteri in Christi sanguinem; si enim non sit de necessitate Sacramenti, ergo est libera; est autem inaudibile esse materiam liberam in Sacramentis, praeterquam in poenitentia. Confit. Ecclesia non potest constituere materiam Sacramenti, cum ergo aqua solo praepcepto ecclesiastico admisceatur vino, non erit materia ex qua huius Sacramenti, si in naturā suā perseveret.

Resp. concedendo non esse de necessitate Sacramenti, & proinde esse materiam liberam hoc sensu, quod sine illā hoc Sacramentum in solo vino perfici possit; cum quo tamen dico consistere, quod in vino ita permisceatur, ut totum aggregatum communi usu sit & dicatur vinum, possit in sanguinem converteri, quamvis non fuerit prius in vinum conversus; & quamvis nihil simile in alijs Sacramentis invenitur, non debet mirum censeri, si probabilis huius rei ratio possit assignari. Singula Sacramenta pene aliquid habent singulare; quid ergo mirum si dicatur in hoc Sacramento aquam non esse quidem materiam necessariam Sacramenti (quod ex sensu Ecclesiae constat), si tamen vino adhibeatur, ita ut vinum praeominetur, possit consecrari, idque colligi ex Christi facto, qui iuxta sensum Ecclesiae & Patrum aquam vino in calice miscuit, & ut videtur probabilius, consecravit antequam in vinum esset conversa; quamvis ergo noluerit, eam necessario adhiberi ad valorem Sacramenti, constituit tamen, ut si adhiberetur, verum posset in sanguinem, licet forte non esset conversa in vinum, ubi.

Notanda differentia inter peccatum veniale quod dicitur materia libera poenitentiae, & aquam, quod licet peccatum veniale non sit necessario subiiciendum clauibus (de quo alibi) si tamen etiam sine peccato mortali subiiciatur, possit impendi absolutio, ut ex usu & sensu Ecclesiae constat; cuius ratio est quod sit Dei offensā, quae per absolutionem potest remitti, aqua vero non possit sola consecrari, sed mixta vino, & quidem eo modo, ut vinum praeominetur, & totum denominetur vinum.

Ad confut. respondeo quod aqua mixta vino simul cum illo vertatur in sanguinem, non habere ex eo quod praepcepto ecclesiastico vino debeat admisceri, sed ex eo quod Christus ita videatur constituisse, ut quando miscetur vino, per consecrationem convertatur in sanguinem, siue prius fuerit conversa in vinum, siue non. Ecclesia ergo suo praepcepto non constituit illam materiam, sed solum obligat ut miscetur, quae debite mixta vertatur in sanguinem. nam Christus illam consecrans videtur suo facto instituisse ut quodcumque debite apponeretur simul cum vino, cum eo converti possit in sanguinem.

QUESTIO LXXV.

De conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

ARTICULVS I.

Verum in hoc Sacramento sit corpus Christi secundum veritatem?



AFFIRMAT. Probatque tum Patrum autoritatibus, tum congruentijs. Prima est, quod id conveniat perfectioni novae legis, ut scilicet veritas quae in lege antiqua varijs figuris fuit adumbrata, in hoc mysterio exhiberetur. Secunda est, quod id conveniat charitati Christi, ut scilicet nos sibi realiter coniungat in hoc Sacramento. Tertia quod conveniat nostrae perfectioni, quemadmodum enim per Incarnationem nobis est proposita divinitas latens sub humanitate, ita decuit perfectionem fidei nostrae, ut per mysterium Eucharistiae humanitas nobis proponeretur latens sub speciebus. idem intellige de sanguine.

DUBIVM.

Verum in Eucharistia Sacramento sub speciebus panis & vini Christi corpus & sanguis verè & realiter contineantur.

IAM ab annis octingentis varijs circa reale praesentiam Christi in Eucharistia errarunt heretici. nam quidam Ioannes Scotus circa annum Domini 800. de veritate corporis Christi in Eucharistia cepit dubitare; cuius errorem damnatum fuisse in Concilio Vercellensi sub Leone 9. scribit Lanfrancus lib. de Eucharistiae Sacramento contra Berengarium. habetur tomo 6. Bibliothecae sanctae. Huc errorem resuscitavit, & propagavit Berengarius Archidiaconus Andegavensis, ita ut licet non fuerit primus istius erroris author, ei tamen tanquam primario tribuatur, quod eum primus aperte propugnaret: contra quem scripserunt Lanfrancus, Guimundus, Algerus (opera habentur tomo 6. Bibliothecae sanctae) de quibus Petrus Cluniacensis episcopus seu tractatu contra Petrobruhianos cap. cui titulus, *Contra id quod dicunt missam nihil esse, nec celebrari debere. ita scribit: horum primus de veritate corporis & sanguinis Christi, quae Sacramento velamine tegitur, bene, plenè, perfecte, sequens melius, plenius, perfectius, ultimus optime, plenissime, perfectissime, differunt. Eundemque errorem damnarunt praedictum Concil. Vercellense sub Leone 9. Turonense sub Victore 2. in quo Berengarius errorem suum revocavit, de quo Guimundus lib. 3. de Sacramento altaris; Romanum sub Nicolao 2. in quo tertio eundem errorem revocavit. videri potest canon, ego Berengarius, de consecratione, dist. 2. & alterum Romanum sub Gregorio 7. in quo iterum revocavit haesim, in quam saepius post revocationem*

Congruentia cur Christus corpus sit in hoc Sacramento.

Varij hereticorum errores. Quidam Ioan. Scot. condemnatus in Concilio Vercellensi. Berengarius dicitur primus eius erroris Author.

Can. Ego Berengarius.

Petrobri-
tiani hære-
tici, & alij.

cationem prolapsus fuerat. Quam tamen postea tenuerunt Petrobriusiani, ut patet ex Cluniacensi citato; & deinde pertinacissime defendit Wicleff, & tandem nostri temporis haretici Carolstadius, Zuvingius & alij, docentes Christi corpus non esse verè, & realiter in Eucharistiae Sacramento; cum quibus in re ipsa sentit Calvinus, ut facile patebit conferenti varios paragraphos cap. 17. lib. 4. Institutionum, quod plerique auctores annotarunt, qui contra hareticos nostri temporis doctissimè, & luculentè scripserunt, & ita passim sentiunt Calvinista.

Conclus.
Cathol.
Corpus
Christi est
verè & rea-
liter in Sa-
crām.
Cœ. Later.
Cōstantiens.

Contra huiusmodi errorem statuitur conclusio: Corpus Christi est verè & realiter in Eucharistiae Sacramento. est de fide, definita in Concilij citatis, & quàm plurimis alijs Provincialibus item in magno Lateranensi, & refertur cap. Firmiter, §. una, de Summa Trinitate, in Constantiensis sess. 8. in qua damnantur articuli Ioannis Wicleff, quorum tertius habet: *Christus non est in eodē Sacramento identicè, & realiter propriè existentia*. in Flor. decreto de Sacramentis §. tertium est. & fulissimè in Concil. Trid. in capitibus & canonibus, ubi can. 1. dicitur: *si quis negaverit in sacrosanctā Eucharistiā Sacramento contineri verè & realiter & substantialiter corpus & sanguinem unā cum animā, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, & proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo vel figura aut virtute, anathema sit*. videri etiam potest Clementina vnica, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, ex Concilio Viennensi.

Florent.
Trident.

Cœ. Vienn.

Prob. 1. ex
Ioan. 6.

Probari solet 1. ex cap. 6. Ioan. ubi Notandum tum omnes pene hareticos nostri temporis, tum quosdam Catholicos sentire eo loco non agi de reali manducatione Christi; hareticos quidem moveri quoddam verba Ioannis adeo sint clara, ut si semel cōcedatur eum agere de reali Christi manducatione, nulla tergiversatione possit negari ex prædicto loco haberi corpus Christi verè, & realiter esse in Eucharistia; Catholicos verò moveri, quod existimant ex prædicto loco intellecto de reali manducatione, concludi divinū præceptum communionis sub utraque specie etiam pro laicis; unde interpretantur de manducatione spirituali per fidem: ita Hesselius lib. de communionē sub vna specie, Iansenius cap. 59. concordia Evangelica in illud Ioan. 6. *panis quem ego dabo &c. propendit Estius dist. 10. §. primo, in fine; citantur & alij.*

Hessel.
Iansen.

Estius.

3.

Ioan. 6. agi
de reali mā-
ducatione
Christi.

Sed communissimè Doctores & Scripturæ interpretes censent eo loco sermonem esse de Sacramento Eucharistiae & reali manducatione. Carnis Christi in eodem Sacramento. pro qua sententia videre licet plurimos Patres citatos à Maldonato in illud Ioan. dixit ergo eis Iesus, quæ & ex ipso sancti Evangelij textu facile ostenditur, ubi dicit Christus: *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & infra: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam &c. caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Hac frequenti repetitione satis datur intelligi Christum propriè loqui, & promittere se daturum suam carnem in cibum, & sanguinē in potum animarū nostrarum; quod factum non est, si corpus & sanguis Christi non contineantur sub speciebus panis, & vini in Eucharistia. verba hunc sensum præ se ferre apertè constat, & nihil obstat quò minus in propria significatione

accipiuntur, ergo debemus illa in prædictum sensum accipere.

Confir. ex eo quod propter prædicta verba: *panis quem ego dabo, caro mea est*, murmuraverint & litigaverint Iudæi dicentes: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* igitur illa verba in sensu proprio & eo, quem primò præ se ferunt, intellexerunt; hunc autem Iudeorum intellectum neque Christus correxit, neque Evangelista leniter indicavit Christum alio sensu sua verba accepisse, & intellexisse de manducatione spirituali per fidem, immò potius confirmavit, adhibita crebra repetitione, & adiuncto præcepto de carne suā manducandā. *Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; inculcato etiam eiusdem Sacramenti fructum qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die &c.* item: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Confirmari etiam potest ex eo quod aliqui ex discipulis dixerint: *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* non potuissent autem meritò ita durus videri, neque tantam admirationem in variorum animis excitare, si Christus solum voluisset se per fidem manducandum, seu, si voluisset, ut in illum crederent; signum ergo est quod non solum Iudæi eius sermonem de reali carnis manducatione intellexerint, sed etiam discipuli, immò & Apostoli quos nunquam docuit de alio verborum sensu.

Bene notat Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 11. non esse probabile, præceptum manducandi per fidem, hoc est præceptum credendi, aliàs tam sæpe inculcatum, hic tam operose tradi, tot verborum inuolucris, & tot metaphoris, tam alienis, & tam duris sermonibus inuolui, & tanta obscuritate proponi, ut excitarentur tam graves offensiones in discipulorum animis. Adde quod Christus loquatur de eā perceptione carnis, & sanguinis, in qua est cibus, & potus distinctio, quæ distinctio non cernitur in credendo, vel manducando spiritualiter, cum in fide idem sit manducare, & bibere.

Et hæc quidem videtur convincere prædictum locum intelligi de reali Christi manducatione, & per consequens ex illo efficacissimè probari posse Christum esse verè, & realiter præsentem in hoc Sacramento, in quo eius corpus & sanguis verè & realiter sub speciebus panis, & vini continentur, quod ipsum contra Catholicos contrarium sentientes probari potest ex cap. 2. sess. 13. Concilij Trid. ubi dicitur: *sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes in illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me: quibus verbis satis declarat Concilium, verba Christi in sensu literaliter intelligenda esse de reali manducatione. Nec repugnat quod idem Concilium sess. 21. cap. 1. indicet iuxta Patres & Doctores prædictum locum varias habere interpretationes, non enim vult infirmare sensum à nobis allatum non esse certò literalem, sed quod ex eo loco non rectè colligatur communionem utriusque speciei à Domino esse præceptam, ut patet ex textu.*

Idem etiam manifestè colligitur ex August. lib. 3. de consensu Evangelistarum docente, Ioannem in loco proprio nihil de Eucharistia scripsisse, sicut ceteri Evangelistæ fecerunt, quod eā de re antea scripsisset.

Neque huic communi expositioni obstat quod prædicto

Idem col-
ligitur ex
August.

prædicto cap. Ioan. dicitur: *operamini non cibum, qui perit, sed qui manet in vitam æternam*, quibus verbis constat non agi de reali manducatione in Sacramento Eucharistiae, sed de spiritali per fidem; Christus enim hortatur Iudæos, ut satagent credere in Dei filium quem misit Pater, ut patet ex Christi explicatione quam infra subiungit: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*; id inquam non obstat, quia licet eo loco agatur de manducatione per fidem, nihilominus sequentibus sententijs eiusdem capituli, quas citauimus, sermo est de reali manducatione carnis Christi, pro cuius intelligentia

Notandum occasione miraculi eo cap. varia tractari, & suauiter progressu ex vno ad aliud transiri. Iudæi à Christo refecti in deserto eum querebant, quibus dixit: *Amen dico vobis quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis*, ubi tacite docet eos nondum cognouisse ex signis & miraculis suam diuinitatem; unde assurgens illos excitat ut alium panem quarant, scilicet seipsum, qui de cælo per Incarnationem descendit, dicens: *ego sum panis viuus, qui de cælo descendi* &c. in illa ergo sententia: *operamini cibum* &c. hortatur ut hunc panem per fidem quæramus, & apprehendamus illum esse Deum, eumque quem signauit Pater, ut animas nostras spiritaliter reficiat, hoc est opus Dei, ut credamus in eum, quem misit Pater; deinde progreditur ad panem Eucharisticum, seu ad mysterium Sacramenti Eucharistiae in illa sententia: *panis, quem ego dabo, caro mea est* &c. ita ut non tantum se offerat panem quærendum, & manducandum per fidem; sed etiam promittat se realiter manducandum in Eucharistiae Sacramento.

Dices Christus sub finem capituli ait: *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam*, quibus verbis videtur declarare totum anteriorem discursum intelligendum de manducatione spiritali per fidem. unde August. tract. 25. in Ioan: *quid paratis dentes, & ventrem credes, & manducastis*; non ergo vult promittere se daturum carnem realiter manducandam.

Resp. neg. consequentiam, quia sententia citata duobus modis potest intelligi: *caro non prodest*, id est caro, ut caro est, ex se non habet vim tribuendi vitam æternam, sed *Spiritus est, qui viuificat*, id est tota eius virtus profluit à diuinitate ei coniuncta. cum enim dixisset: *qui manducat meam carnem*, & *bibit meum sanguinem*, habet vitam æternam, potuisset autem aliquis merito dubitare, unde tanta virtus eius carni competere, volens occurrere huiusmodi tacite obiectioni, docet vim tribuendi vitam æternam non competere carni suæ ex se, sed propter diuinitatem coniunctam, in quo ostendit se esse Deum.

Eadem sententia potest ita intelligi, ut Christus velit hæcenus à se dicta non esse carnaliter intelligenda, sed modo magis spiritali, quasi dicat: hæcenus dicta nimis carnaliter intelligitis, quasi si manducatur carnem meam visibili modo comedendam, & dentibus laniandam, eo modo quo carnes communes, quæ in macello veniunt, solent manducari, carnalis intelligentia non prodest quidquam, itaque debetis mentem attollere, & sublimiorem manducandi rationem meditari. hæc intelligentia spiritalis viuificat, itaque Christus per spiritum, qui viuificat, non vult intelligere solam spiritali manducationem per fidem, neque vult oppo-

sed solum vult docere, vel vim viuificandi competere carni suæ ratione diuinitatis coniunctæ, vel spiritum viuificare, id est intelligentiam spiritualement, quæ cogitent hanc manducationem carnis Christi in Sacramento Eucharistiae futuram puram, in qua Christi caro non dilanietur dentibus, & in partes secetur. ad Aug. Resp. prædictam sententiam afferri ab eo explicante illud cap. 6. Ioan. respondit Iesus, & dixit eis &c. quo loco Christus nondum agebat de reali manducatione. Aug. ergo non vult negare apud Ioan. etiam agi de manducatione reali, cum contrarium pateat ex loco à nobis citato, sed in sententiâ, quam explicat, agi de manducatione per fidem, dicens: *hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; ut quid paratis dentes, & ventrem? crede & manducasti*; per quam sententiam non negat realem manducationem infra apud eundem Euangelistam præcipi.

Dices lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. ait: *Replica ex*
non manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius
sanguinem, non habebitis vitam in vobis, facinus vel fla-
gitium videtur iubere, figura ergo est præcipiens passio-
bus Domini esse communicandum, & suauiter, atque tri-
liter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius
crucifixa & vulnerata est; quibus verbis videtur vel-
le Ioan. 6. solum agi de manducatione per fidem,
non autem de reali.

Resp. neg. assumptum, nam illis verbis, *figura ergo est præcipiens* &c. non vult carnem Christi in solâ figurâ, vel per solam fidem manducandam, sed solum significat non sumendam communi modo secando, dentibus terendo, sed incurrente sub specie panis, in quâ sumptione recolitur memoria passionis eius, illud enim: *figura ergo est* &c. August. non opponit reali manducationi, sed ei quod præcesserat, facinus vel flagitium videtur iubere; quasi dicat: in eo quod dicitur: *non manducaueritis carnem filij hominis*, nihil crudele significatur, cum non præcipiatur, ut illam carnem comedamus sicut communiter carnes animalium edere solemus, quæ prius occidimus, carnes secamus, coquimus, tum comeditur terendo dentibus & laniando, hic nihil est simile, sed caro est manducanda incurrente sine vlla sui læsione, ita ut solum figuratè repræsentetur passio Christi, in qua verè oculus est. in eundem sensum accipienda sunt quæ habet Bernardus in Psal. 90. *Qui habitat, aduersum; quid autem est manducare eius carnem, & bibere eius sanguinem, nisi communicare passionibus eius, & eam conuersationem imitari, quam gessit in carne*; quibus verbis non vult in Eucharistiâ non sumi veram Christi carnem, sed fructum huius communionis esse passionis memoriam recollere, Christi passioni communicare, Christi vitæ & moribus imitari, quod patet ex sequentibus, ubi dicit: *unde & hoc designat illibatum illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus, ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus per eam, quam in terris habuit, conuersationem, ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris.*

Præter hos solent varij alij Patres obijci, qui prædictum Ioan. locum intelligunt de spiritali manducatione per fidem, ad quam obiectionem

Resp. diligenter attendendū quænam verba illius capituli explicant, cum enim eo c. de varijs agatur, & ut ostendimus, agatur etiam de manducatione per fidem, si aliqua verba de huiusmodi manducatione Patres explicent, non potest inferri eos posteriorem capituli partem de eadem solâ manducatione per

Ad Aug. Ioan. cum resp.

Resp.

s. Bernard. explicatur.

Obiectio ex alijs PP.

Resp.

ne per fidem intelligere, & realem excludere. quod si agant de postrema parte capitis vel aliqua eius sententia, dico vel eos non intelligere de sola manducatione spirituali per fidem (quod ex antecedentibus & consequentibus, & modo loquendi spectari debet) sed solum velle, magna fide & deuotione opus esse, cum ad venerabilem Eucharistiam accedimus, exteriorem manducationem sine fide nihil prodesse, opus esse Christum spiritualiter manducare per fidem. ubi spiritualis manducatio non opponitur reali & sacramentali, sed solum exteriori carenti fide, quam nullo modo prodesse constat. vel dico aliquos mystice quidem hunc locum accipere & explicare; non tamen negare sensum verborum à nobis allatum. nam aliud est aliquem locum iuxta scopum explicantis, & prout ratio instituit exigit, mystice explicare; aliud verò quemlibet alium sensum excludere, & ex priori non apte inferitur posterius. itaque ex eo quod aliqui Patres explicauerint hunc locum de manducatione spirituali per fidem, vel de scripturis, non sequitur quod existimauerint non debere aliter in sensu literaliter intelligi.

Quidā PP.
licet mystice
explicet,
non negant
sensum ab
Auctore al-
latum.

5.

Prob. 2.
conclus.
Matth. 26.

Marci 14.

Luc. 22.

6.

Hæretico-
rum cōtor-
ta explica-
tiones su-
per locis ci-
tatis ducent
ta dicuntur
esse.
Refellun-
tur aliquot.

Probatur 2. propositio, ex verbis quibus hoc Sacramentum fuit institutum; Matth. 26. dicitur: *canantibus autem eis accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum; & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marci 14. & manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: sumite, hoc est corpus meum, & accepto calice &c. ait illis, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ 22. accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur &c. similiter & calicem, postquam canant, dicens: *hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* his verbis & similibus quæ refert Apostolus 1. ad Cor. 11. constat Christum instituisse Eucharistiae Sacramentum, in quo sub panis, & vini speciebus corpus, & sanguinem suum nobis reliquit, nam verba in propria sua significatione id sonant.

Hæretici negantur fateri corpus Christi verè & realiter esse sub speciebus panis, variè prædicta verba contorquent, ita ut dicantur esse plusquam ducenta horum locorum depravationes in quodam libello edito anno 1577. pauculas referemus, ex quibus facile erit de alijs ferre iudicium.

Dicunt ergo aliqui particulam, *Hic*, ut sit sensus, hic est, seu sedet corpus meum. verum hac explicatione vix potest excogitari aliquid magis ridiculū; quis enim non statim videat, quā sit insulsus sermo: accipite, & comedite, hic est corpus meum, seu hic sum?

Alij eam particulam referunt quidē ad panem, sed panem explicant metaphoricè hoc sensu: corpus meum est panis, quia instar panis reficit, & nutrit animas. sed ea quoque explicatio prorsus est ridicula, quid enim ad institutum: accipite, & comedite, corpus meum est panis animas reficiens, si non significetur illud corpus præberi Apostolis per illa verba, *accipite & comedite*? & quæ connexio in illā sententia, si posteriora verba nullo modo respiciant priora, neque detur ad manducandum id, quod dicitur esse corpus Christi?

Certè authores harum explicationum Christo de re grauissima agenti id tribuunt, quod homini

mediocriter sapiēti vix vllus possit tribuere. si quis enim inter cordatos ita loqueretur, statim iudicaretur fatuus, vel non aduertere quid dicat.

Alij dicunt verbum, *est*, sumi pro significat hoc est, id est, significat corpus meum. Alij dicunt corpus sumi tropicè pro figurā corporis; accipite, hoc est figura corporis mei. Alij censent per hanc propositionem, *hoc est corpus meum*, nihil aliud denotari, quā: hoc est corpus à me factum, creatum, possessum. Alij dicunt panem vocari corpus per idiomatum communicationem, sicut dicimus, Deus est homo, Deus est passus, mortuus, sepultus &c. alij alia excogitant.

Ex quibus apparet hæreticos non querere verum & germanum Scripturæ sensum, sed eam detorquere, prout ad suam hæresim stabiliendam iudicant opportunum. nisi enim aliquis sit omnino pertinax, facile perspiciet relata verba accipienda esse in sensu, quem præ se ferunt, nec esse ad tropos detorquenda.

Primo id suadet, quod tres Euāgelistæ ita conuenerint, ut cum diuersis temporibus, & occasibus scripserint, ita tamen scripserint, ut ex eorum conformitate quicquid facile notare possit verba in proprio sensu accipienda, & in quo Ecclesia hætenus intellexit. cum enim in alijs dogmatibus, quod ab vno obscure fuit dictum, fuerit ab alio vel illo eodem explicatum, mirum esset in re hac grauissima obscuritatem vnus non fuisse ab alio sublatam, sed omnes summā consensione eundem modum loquendi vsurpassē, vel si quæ sit diuersitas, eam esse tam parum, ut statim appareat quoad sensum inter se conuenire.

Secundò ex varijs circumstantijs manifestè conuinci potest Christum nō fuisse vsu tropis, quos confingunt heretici, sumpsisse verba in plano sensu, secundum quem denotant eius corpus verè & realiter in Sacramento Eucharistiae sub specie panis existere. quod ostenditur 1. quia etiam fatentibus hæreticis Christus citatis verbis Sacramentum aliquod in Ecclesia permanfurum instituit, atqui decet verba quibus Sacramentum instituitur esse perspicua, ita ut de eorum sensu facile cōstet. nam alioquin Ecclesia, cui Sacramentum relinquatur, hærebant dubia de eo, quod sibi relictum est, vel præceptum. & ita Deus nō tam videbitur aliquod beneficium Ecclesiae contulisse, quā delusorē cum illā egisse, quod sine ingenti blasphemā dici nequit.

Confir. 1. Sacramentum Eucharistiae est vnum ex præcipuis fidei nostræ mysterijs & ritibus, quo Ecclesia iubetur Deum colere; oportet autem id claris verbis proponi, ut eidem Ecclesiae possit constare, quanam re Deum colere debeat.

Confir. 2. baptismus verbis claris est propositus, ita ut Ecclesiae de eorum sensu facile constare possit; ergo omnino dicendum Christū in Sacramento Eucharistiae idem fecisse, ne in Sacramento præstantissimo errandi præberetur occasio.

Secundò, illis verbis Euāgelistarum, Christus condidit testamentum; communi autem omnium prudentum vsu vnusquisque condens testamentum vitur verbis, quā potest, clarissimis, ut alij sciāt quid sibi relictū, quæ onera imposita, & imprudēs iudicatur qui aliter facit, & qui de industria affectaret obscuritatem in testamento, non tam censetur testamentum condere, quā delusorē cum alijs agere.

Tertiò ipsdem verbis pactum, & fœdus initum; nihil est autem tam cōsentaneum rationi naturali, quā

Ex condicio-
nibus Eucha-
ristiae
colligunt
ecclesiæ acci-
pienda in
proprio
sensu.

Verba quo-
bus Sacra-
mentum
instituitur,
debeat esse
clara.

Qui condidit
testamentum
solus re-
verberis cla-
ris.

Verba est
pacti dicitur
esse debeat.

quàm verba alicuius pacti esse clara & in sensu aperto accipienda: aliàs enim nulla haberi poterit certitudo de iure, & obligatione ex pacto ortis, sed omnia subiacerunt fraudibus, & cavillis contrahentium. Confir. ex pactis veteris testamenti Exodi 24. quæ perspicuis verbis proponuntur. Porro in institutione Eucharistie pactum intercessisse patet ex Apostolo 1. ad Cor. 11. ex quo patet in institutione Eucharistie promissam vitam æternam dignè illam fumentibus.

Quartò si quando Christus aliquid obscure diceret, id solebat Apostolis explicare; non est ergo vilo modo verisimile in institutione huius Sacramenti vsum verbis obscuris, seu in sensu improprio, quem ex adiunctis nò potuerint facillè intelligere, nec tamen fuisse explicata. Confir. tunc docebat Apostolos de mysterio in Ecclesia duraturo, & de quo ipsimet debebant Ecclesiam instituere, ergo debebat vti verbis apertis, ut scirent, quid sibi esset commendatum, quid ex Christi institutione præceptum deberet Ecclesie tradere.

Ex his patet verba institutionis huius Sacramenti debuisse esse aperta, & non habere sensum metaphoricum, ex quo ipsum mysteriū relinquatur ignotum, vel dubium, & proinde verbum, *est*, sumendum in propria significatione, in qua communissimè sumitur. adde verbum, *est*, ratione sui nò solere recipere tropum: vnde si quando videatur recipere, tropus non est tam in ipso verbo, quàm in adiuncto, vel est tam facilis, ut statim quivis facillè possit illum advertere, quod in præsentem non contingit; nam audità hac propositione; *hoc est corpus meum*, in primà alicuius mysterij institutione, nisi ex adiunctis cogamur aliter interpretari, non indubiamus proferentem per copulam, *est*, solum velle denotare significationem, sed verè est. vnde quidquid sit de varijs exemplis, quæ congerunt hæretici, & quæ soluit Bell. lib. 1. de Eucharistia cap. 11. nullo modo debet admitti tropus in verbo, *est*, nec etiam admitteudus est in nomine, *corpus*, ut sumatur pro figurâ corporis; si enim relinqueretur libertas ita explicandi pro arbitrio, nihil certum de re à Christo instituta haberi posset. adde id præberi Apostolis, quod dicitur pro nobis tradendum, effundendum; figura autem corporis non est pro nobis passâ, effusâ, sed ipsum Christi corpus, & sanguis: ex quo etiam patet: *corpus meum*, non posse explicari per corpus à me factum &c. quia illud non est pro nobis traditum, quod tamen dicitur de corpore dato Apostolis ad manducandum.

Non posse etiam dici de pane: *hoc est corpus meum*; per communicationem idiomatum patet 1. quòd inter illa nulla intercedat vniò substantialis, & proinde non possit esse idiomatum communicatio. 2. quòd per cōmunicationem idiomatum vna natura nec soleat, nec possit prædicari de alia, quod hic fieri deberet; cum enim panis, & corpus Christi nò conveniant in idem suppositum, non possunt de se mutuo prædicari per modum prædicati communis de supposito, sed vnum debet prædicari de altero ratione suæ naturæ, quod fieri non potest, cum substantia panis non sit substantia corporis Christi, nec contrà.

Contrà hæc obieci potest quòd apud Lucam sit admittendus tropus in illis verbis; *hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. nam calix tropicè sumitur, similiter, & novum testamentum.

Resp. aliquos existimare esse quidem tropum in nomine calix, sed eum esse tam clarum, ut æquivalear propriæ locutioni; nam cum ipsa vasa non so-

leant potari, per calicem non debet intelligi vas ratione sui, sed contentum in eo; quemadmodum ostenso poculo pleno vino optimo, sermone satis vtitur dicere solemus, hoc est vinum præstans: non ergo repugnat dictis quòd in formâ calicis apud Lucam fortè quidam tropus inveniatur, quia is nullâ parit obscuritatem, vel incertitudinem, quam pareret ea propositio: *hoc est corpus meum*, si esset tropica. Addunt impropriam Lucæ locutionem explicari per Matthæum, & Marcum: *hic est sanguis novi testamenti*, & ex his facillè posse adverti, quid sibi velit Lucas: respectu verò huius propositionis: *hoc est corpus meum*, nihil simile haberi, cum omnes summâ consensione eodem modo illam proferant.

Alijs tamen verius videtur nullum tropum in hac voce, *calix*, inveniri, sed eam sumi in propriâ significatione, cum propriè, & sine vlla figurâ poculum continens vinum, dicatur poculū vini, quemadmodum dicimus dolium vini: eodè ergo modo propriè dicitur *calix sanguinis*, id est sanguinem continens, vel in sanguine. neque etiam figura in eo est, quòd dicitur, *novum testamentum*, quia ratione additi, in sanguine, satis apparet quòd calix sine figurâ dicatur novum testamentum, perinde enim est ac si diceretur calix ratione sanguinis, quem continet, in cruce fundendi, est novum testamentum.

Notandum etiā nomen *testamentum* tam in Scripturâ quàm alibi duobus modis sumi. 1. pro voluntate testatoris, quâ ratione sumitur Exodi 24. *hic est sanguis fœderis*, id est, quo confirmatur pactū seu voluntas, & promissio Dei. 2. pro instrumēto continente huiusmodi voluntatem, quo sensu ostenso instrumēto quo continetur vltima voluntas Petri, dicere solemus: *hoc est testamentum Petri* &c. utraque significatio est propria. Matthæus quidem, & Marcus *testamentum* priori modo sumpserunt dicentes: *hic est sanguis meus, novi testamenti*; Lucas verò & Paulus posteriori. adde quòd licet apud Lucam esset aliquis tropus in voce, *testamentum*, is & explicetur à Matthæo & Marco, & statim ita appareat ut sententia propter illum non reddatur obscura & incerta, nec tropus sit in eo, quòd ad substantiam Sacramenti pertinet.

Probaturs 3. ex cap. 10. 1. ad Cor. vbi dicit Apostolus: *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* quo loco Apostolus apertè ostendit calicem consecratum continere Christi sanguinem, & sub speciebus panis post consecrationem Christi corpus verè contineri, ut hac ratione reuocet Corinthios ab idolorum culturâ, & esu idolorum, quasi dicat: nos quæ corpore & sanguine Domini cōmunicamus, longè abesse debemus ab omni immunditia, idolorum cultura, & esu idolorum; non possumus mensæ Domini participes esse & mensæ demoniorum.

Confir. cap. 11. monet, ut magnâ cum reuerentia sumatur Eucharistia, & ut unusquisque probet seipsum, dicit etiam eum, qui cōmunicat indignè, reum esse corporis & sanguinis Domini, iudicium sibi manducare non diiudicando corpus Domini: quæ omnia manifestè ostendūt Christi corpus verè esse in Eucharistia. si enim ibi non sit, ut quid reus est corporis Domini, qui sine præparatione cōmunicat? quare dicitur illud nò diiudicare? nunquam Iudæi tanto verborum pondere moniti fuerant, ut cum accuratâ animi præparatione, & sui probatione comederent Agnum Paschalè, vel manna; nunquam dictū est quòd comedētes in peccato iudiciū sibi manducarent non diiudicātes corpus Domini,

Responsio
aliorum.

Testamen-
tum dupli-
citer sumi-
tur.

8.

Prob. 3. ex
1. Cor. 10.

cum tamen a quali iure dici potuisset, si sola figura corporis Christi sit in Eucharistia, non verò ipsum corpus.

Obiectio.

Dices cap. 10. citato dicitur: omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, constat autem antiquos Patres manducasse figuram corporis Christi.

Resp.

Resp. id nihil facere contra veritatem huius mysterij. 1. quia non dicitur quod manducauerint eandem escam nobiscum, sed inter se: unde non sequitur verum Christi corpus non contineri in Eucharistia, si solum illius figuram habuerint. 2. quamuis cum quibusdam concederemus Apostolum docere antiquos eandem escam spiritalem nobiscum manducasse, (quod tamen non intendit Apostolus, vt ex eius discursu facile potest colligi) nihil contra catholicam doctrinam inde cōfici posset, quia diceretur Apostolum solum velle, quod manducassent eandem significatione, non autem re, id est quod manducassent manna, quod representabat Christi corpus, eratque figura eius latentis in Eucharistia sub speciebus panis.

Prob. 4. ex PP.

Probat 4. ex Patribus, qui tam multi sunt, vt quamuis nihil ex Scripturā vel Ecclesiae definitione haberemus, sufficere tamen deberent ad redarguendam haereticorum pertinaciam, cum vix vllum aliud mysterium tanto numero testium fulciatur atque mysterium praesentiae corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini in Eucharistia. plurimos refert per omnes aetates Bell. lib. 2. de Euchar. aliquot ex infinito pane numero seligemus.

Bellar.

Prefbyteri & Diaconi Achaiae in passione Sancti Andreae referunt eum dixisse Aegae: ego omnipotens Deo immaculatus Agnum quotidie sacrifico & c. qui cum sit verus sacrificatus, & verē a populo carnes eius manducatae, integer perseverat, & vivens. vbi cum dicantur verē carnes eius a populo māducatae, apertē excluditur manducatio in solo signo, & supponitur veram Christi carnem realiter in Eucharistia contineri.

Ignat.

Ignatius epist. ad Romanos: panem Dei volo, panem caelestem, panem vitae, qui est caro Iesu Christi filij Dei vivi, qui natus est tandem de semine David & Abraham, & poculum volo sanguinis eius.

Iustin.

Iustinus apologia 2. ad Antoninum Imperatorem: non enim vt communem panem, neque vt communem potum hoc sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Saluator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistia factum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostri & per mutationem aluntur: illius incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edoculi sumus. haec attulit Iustinus, vt responderet calumniae Gentilium, qui criminabantur Christianos, quod in suis sacris, carnibus humanis vescerentur, qui si non agnouisset in venerabili Eucharistia verē & realiter Christi corpus contineri, vno verbo obiectionē negare potuisset, nec fuisset opus dicere per preces Eucharistiam factum cibum carnem esse, & sanguinem Iesu, & illum panem nō esse communem. Nec obstat quod dicat ex quo sanguis & carnes nostrae per mutationem aluntur, quia hoc non est referendum ad Eucharistiam, sed ad panem, ex quo illa fit, hoc sensu: panis, ex quo sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, per preces verbi Dei fit Eucharistia, cibum quem edoculi sumus esse carnem & sanguinem Iesu incarnati.

Irenaeus.

Irenaeus lib. 4. aduersus haereseos cap. 34. quemodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem decemire, & non percipere vitam quae a corpore Domini & sanguine alitur: & infra: Eucharistia ex duabus constat, terrenā &

caelestis: quod dici nequit nisi in ea sit verē & realiter corpus Christi, cum eius diuinitate.

Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 8. caro abluatur, vt anima emaculetur, caro mungatur, vt anima consecratur, caro corpore & sanguine Christi reficitur, vt & anima de Deo saginetur.

Contra hunc & similia loca Tertulliani, haeretici eundem reponunt lib. 3. contra Marcionem cap. 19. dicentem: sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit: panem corpus suum appellans, vt & hinc iam enim intelligas corporis sui figuram panem dedisse, cuius retro corpus in panem Prophetes figurauit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo.

Resp. hunc locum diligenter expensum nobis fauere, cum Tertullianus dicat Dominū appellasse corpus suum panem, scilicet illum de quo Ieremias dixit: Iudaei: mittamus lignum in panem eius & c. hic autem panis non fuit alius, quam corpus Christi, cum panis terrenus non fuerit pro nobis crucifixus, vt dicit Ieremias. Tertullianus ergo voluit quod Christus corpus postea assumendum figuratē per Prophetā sub nomine panis declarauerit, quā locutionem & significationem occultam Dominus postmodum fuerit interpretatus Ioannis 6. vocans corpus suum panem.

Obijciunt rursus eundē lib. 4. contra Marcionem cap. 40. vbi ita loquitur: acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo: id est figura corporis mei, figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus. Duplex est ad hunc locum repositio, vna dicit, quod illa verba: figura corporis mei, referantur ad illud: acceptum panem, hoc sensu, acceptum panem, qui olim apud Prophetam Ieremiam fuit figura corporis Christi, Christus corpus suum effecit dicendo: hoc est corpus meum. Altera est quod particula: id est figura, refertur ad species, contineatque verba Tertulliani explicatis Christi sententiam, quasi dicat: sub alienā figurā panem fecit corpus suum, quā sententia est conformior textui: nam illa verba: id est figura, non sunt Euangelista, sed Tertulliani. Cum vel ipsis haereticis testibus Tertulliani clarum testimonium praebat praesentiae corporis Christi in hoc Sacramento, obscura quadam eius dicta non debent veritati praedicare.

Cyprianus sermone de lapsis: vis inferri corpori eius, & sanguini, plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquimus, quam cum Dominum negauerunt, quibus verbis docet aliquos grauius peccare indignē accedēdo ad Eucharistiam, quam Dominum negando: quod nullo modo dici potest, si corpus Christi in Eucharistia verē non continetur: eodē sermone varia miracula narrantur facta circa eos, qui Christi corpus indignē tractarunt. videri potest sermo de Cena Domini inter opera eiusdem Cypriani, vbi veritas Catholica fusē comprobatur.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogica: cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane (scilicet consecrato, qui secundum externā figuram est materialis) hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confitente & dicente: hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illum sanguinem? equam aliquando mutant in vinum, quod est sanguinem propinquum in Cama Galileae solā voluntate, & non erit dignus, cui credamus quod vinum in sanguinem transfuerit: & infra: quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus, nā sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. & infra: ne ergo consideres tanquā panem nudum & vinum nudum, corpus enim est & sanguis Christi secundū ipsius Domini verba: quāuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamē fides te cōfirmet,

Tertull.

Locus Tertulliani explicatur.

Explicatur alius Tertulliani locus obiectio.

Cyprian.

Cyrill.

ne ex

ne ex gustu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio esse tibi donata corpus & sanguinem.

S. Ephrem de natura Dei minimè scrutandà in fine: hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christi Saluator noster, ignem quippe & spiritum manducandum ac bibendum praeferat nobis carne vestitis, corpus, videlicet & sanguinem. Nec obstat quod antea dixerat: benedixit, ac fregit in figuram immaculatam corporis sui, calicemque in figuram pretiosi sanguinis sui benedixit; quia non id dixit quòd non agnouerit Christi corpus & sanguinem latere sub speciebus panis, & vini, sed dixit in figuram, quod corpus & sanguis sub aliena specie nobis proponatur, quem admodum Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. dicit nos bibere similitudinem pretiosi sanguinis; quibus verbis non vult in Eucharistia Christi sanguinem solum esse in signo, sed vult docere nos non bibere Christi sanguinem in propria specie, sed in aliena.

Ambros. lib. de ijs, qui mysterijs initiuntur cap. 9. initio capitis Eucharistiam variè praefert manā, quae praefatio non subsisteret si Christus solum per Eucharistiam significaretur, non etiam reipsa in eadem sub speciebus contineretur. ibidem ait: forte dicas: aliud video, quomodo tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc supersit ut probemus. quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? virgine tenebat Moyses proiecit eam & facta est serpens. & antea: quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur. nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone configuratur: quòd si tantum valuit sermo Eliae ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? de totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt; sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant: non enim minus est novus rebus dare, quam mutare naturas. haec nec possent, nec deberent tanto verborum pondere doceri, si Christi corpus solum representatiue esset in hoc Sacramento, non etiam secundum rei veritatem. ibidem: & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est, quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Item: in illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi; quae nullo modo dici possent si Eucharistia solum representaret Christi corpus, non etiam realiter contineret. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. didicisti quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum, & aqua in calicem mittitur, sed sit sanguis consecratione verbi caelestis. cap. 5. ante verba Christi calix est vinum & aqua plenus, ubi verba Christi operata fuerunt, ubi sanguis efficitur.

Chrysost. homilia 51. in Matth. qui maius id est seipsum pro te posuit, quare designabitur suum tibi tradere corpus? audiamus igitur tam sacerdotes quam alij, quam magnam quam admirabilem res nobis concessa est, audiamus quo & perhorrescamus, carnes suas nobis tradidit seipsum immolatum proposuit. homilia 83. postquam adhortatus fuisset, ut in mysterijs quantumvis arduis & difficilibus Deo crederemus, subiungit: quoniam ergo ille dixit: hoc est corpus meum, nullā teneamus ambiguitatem, sed credamus. lib. 3. de sacerdotio: o miracula! o Dei benignitas: qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis

articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere, & amplecti. quo loco Chrysost. tribuit summo miraculo, quòd Christus in caelo existens, postquam sacerdos verba consecrationis protulerit, simul hominum manibus pertractetur, ac seipsum tradat volentibus illum excipere: nullū autem est, aut fingi potest miraculū, si Christi corpus solum representatiue sit in Eucharistia. plurima alia ea; clarissima eiusdem Patris testimonia pro confirmatione Catholicae veritatis adducit Bell. lib. citato cap. 22.

Sed obijciunt haeretici ex homilia 11. eiusdem in Matth. ubi dicitur: si ergo haec vasa sanctificata ad locum Chrysost. primatus rursus transferre sic periculosum est, in quibus non verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur: quanto magis vasa corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum praeparavit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult?

Resp. 1. hac homilia nō esse Chrysost. ut non solum Catholicis, sed etiam aliqui ex haeticis fatentur.

Resp. 2. hoc opus multis erroribus esse respersum, & proinde nullius esse auctoritatis.

Resp. tamen 3. sententiam allatam nihil facere contra Catholicam doctrinam; quia vasa de quibus dicitur, quòd in ijs non verum corpus, sed mysterium corporis eius continetur, non intelliguntur de vasis, in quibus venerabilis Eucharistia aservatur, sed de vasis sacris templi Salomonis quae Baltasar in profanum usum transtulit, propter quod peccatum & vitam perdidit, & regnum. id clarè patet ex textu homiliae.

Hieron. commentario in Psal. 109. quomodo Melchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum, sic & tu offeres corpus & sanguinem tuum, verum panem & verum vinum. iste Melchisedech ista mysteria, quae habemus, tradidit nobis, ipse est qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.

Epistolae ad Hedibiam 150. quaest. 2. nos audiamus panem, quem fregit Dominus, dedisse discipulis suis, esse corpus Domini Salvatoris. & infra: nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse communis & communis, ipse comedens & qui comeditur.

Nec obstat quòd in caput 26. Matth. in illa verba: coenatis autem eis dicit: postquam typicam Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat, assumpsit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Pascha transgreditur Sacramentum, ut quomodo in praefiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis representaret. ubi videtur docere quòd in hoc Sacramento solā sui corporis figuram dederit; id, inquam, nō obstat, quia verbum repraesentare nō solum significat rem quomodocumque denotare, sed etiam significat presentem exhibere, & sistere, & ita nō raro apud Patres accipitur, quia ratione hic non modo potest, sed etiam debet accipi, alioquin cōcideret antithesis ab Hieron. instituta.

Nec similiter obstat quòd in commentario in cap. 1. epistolae ad Ephes. in illa verba: in quo habemus redemptionem, dicitur dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit: caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus, & nisi manducaveritis carnem meam & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam aeternam; vel caro & sanguis qui crucifixus, & qui militis effusus est lancea.

Respondetur enim 1. Hieronymum utroque modo sumptam vocare carnem, non verò figuram carnis, & proinde id posse in adversarios retorqueri.

Respondetur 2. non velle distinguere substantiam & naturam, quasi caro crucifixus fuerit vera caro,

POSITI
Sacram

Hieron.

Locus Hieron. elucidatur.

Repraesentare significat etiam praesens sistere & exhibere.

Explicatur eiusdem loci alius.

Explicatur
& Aug. lo-
cus.

alia non item, sed iuxta aliquos solum distinguere statu, & conditione, quia videlicet semel est sub statu impassibili, aliàs in propria specie existens est sub statu passibili, ratione cuius aliquo modo posset dici diuersa. Quemadmodum explicari etiam potest quod habet August. in Psal. 98. dicens: non hoc corpus, quod videtis, manducatur, & bibitur illum sanguinem quem sumpserunt, qui me crucifixerunt: Sacramentum aliquod vobis commendavi. solum enim vult corpus Christi non esse sumendum in specie visibili & communi more aliarum carnum laniandum, sed sub statu magis spirituali. Aliqui tamē censent carnem Christi, quæ dicitur cibis, dici diuinam & spirituales ratione diuinitatis coniunctas, propter quam vim habet viuificandi, & aliquo modo differt à se considerata secundum se, iuxta quam considerationem à militibus est crucifixa.

August.

Augustinus quem hæretici à se stare iactitant, luculenter eandem veritatē tradit. Lib. 9. Confessionum cap. 13. agens de matre defuncta ita dicit: tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit &c. unde sciret dispensari viciam sanctam, qua delictum chirographum, quod erat contrarium nobis. Lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 9. mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fidei corde atque ore suscipimus: quamuis horribilius videatur humanam manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere. vbi & ex proprietate sententiæ Augustinus debet sentire corpus Christi verè & realiter in Eucharistia contineri, & ex eo quod dicat horribilius videri humanam carnem manducare, quam perimere, quod nullo modo dici posset, si corpus Christi solum esset in Eucharistia, vt in signo. Concione 1. in Psal. 33. in illud: & ferebatur manibus suis. Hoc quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non inuenimus, in Christo autem inuenimus, ferebatur enim manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: hoc est corpus meum. ferebat enim illud corpus in manibus suis. Nec refert quod concione sequenti dicat: quodammodo; nam per illam particulam non vult de notare quod solum sese deferret in figurā, cum id facile possit intelligi; sed solum vult indicare, quod non portauerit se in propria specie existentem & cum labore, quod fortè homines possent cōcipere; de cætero eadem concione satis clarè docet, quod corpus suū in manibus habuerit, plurimas eiusdem Patris sententiās videre licet apud Bell. lib. cit. c. 24.

Obiectio
ex August.

Sed obijciunt hæretici ex eodem Aug. epist. 23. si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt, sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Omittis varijs solutionibus.

Resp.

Respond. dictum ratione specierum, quod scilicet species ipsæ propter similitudinem cum re quam continent, nomine rei possint appellari, idque, vt ostēderet Aug. quomodo infantes, qui non credūt, neque vnquam actum fidei habuerūt, dici possint habere fidem, scilicet quia receperunt fidei Sacramentum, seu baptismum, qui potest sortiri nomen fidei, quia cum fide, cuius est Sacramentum, quandam habet similitudinem; quemadmodum species

& externa symbola in Eucharistia possunt appellari nomine rei, cuius habent similitudinem, nō vult ergo negare Christi corpus in Eucharistia realiter contineri, sed solum asserere ipsa symbola posse appellari corpus & sanguinem Christi propter rationem allatam.

Obijciunt 2. quod dicitur commentario Psal. 3. Christus adhibuit (scilicet Iudam) ad conuiuium in quo corporis sui figuram discipulis commendauit & tradidit.

Resp. Aug. nolle Eucharistiam esse nudam figuram, & representationem corporis absētis, sed corpus Christi sub alienis speciebus latens esse figuram eiusdem crucifixi, quia nobis datum est in memoriā passionis. vnum ergo & idem corpus sub certo statu existens est figura sui sub altero statu considerati, quā ratione pluribus alijs locis tum Aug. tum alij Patres possunt intelligi.

Plures ab alijs fusc citatos prætereo, ex quibus patet catholicam veritatem primis quinque sæculis à plurimis Patribus comprobata, & Berengarianam hæresim prius refutatam & damnatam fuisse, quā natam.

Eandem veritatem posteriores tum Patres tum Doctores accuratè tradiderunt & defenderunt. videri possunt Paschalius, Lanfrancus, Guilmodus, Algerus tomo 6. Bibliothecæ sanctorum Patrum. citatis duos adicio, Ioannem Damascenum, qui lib. 4. de fide cap. 14. ita scribit: panis, vinumque, & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus S. supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem. & infra: non est figura panis & vini corporis & sanguinis Christi, absque enim hoc, sed est ipsum corpus Domini descriptum, & Euthymium cap. 64. in Matth. itaque sicut vetus testamenti hostias, & sanguinem habebat, ita sanè & nouum, corpus videlicet & sanguinē Domini, non dicitur, autem, hæc sunt figura corporis mei & sanguinis mei, sed hæc sunt corpus meum & sanguis meus. oportet ergo nō ad naturā eorum quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem eorum: quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem descriptam (sicut loqui liceat) ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum vniuersū corpus suū, & in ipsum præteritū sanguinē suum.

Contra hæc & similia Patrum testimonia, varia adferunt hæretici, quibus videri possit Christi corpus non esse in hoc Sacramento, quæ partim hinc inde retulimus & soluimus, partim ab alijs referuntur, pro quorum solutione.

Notandum quod etiam indicauimus, 1. aliud esse Patres locum quempiam Scripturæ mysticè explicare, & ad aliud adaptare, aliud verò excludere, seu negare quemlibet alium sensum. quamuis ergo aliqua, quæ de Eucharistia, & corpore Christi in ea contento intelliguntur, Patres interdum mysticè ad aliud applicent; non tamen negant illa ipsa de vero Christi corpore intelligi.

2. Cum impij hoc Sacramentum non manducant vtiliter, vt patet ex Apostolo 1. ad Cor. 11. Patres id asserentes & denegantes illis effectum huius Sacramenti, non idcirco negant corpus Christi ab ipsdem manducari, vel realiter in Sacramento contineri; vel si quando dicant eos sacramentaliter comedere corpus Christi, non excludunt veram & realem comestionem, sed solum vtilem, quæ coniunctum habeat gratiæ effectum.

3. Patres interdum vocant hoc Sacramentum panem, sed simul exprimunt, vel intelligūt benedictum, vel ita vocant, quod eum effectum operetur in animabus nostris, quem panis materialis operatur in corporibus, quod scilicet nutriat, foueat, confortet; vel tertio ita vocant ratione symboli,

Obiectio
altera ex
eodem.Resp.
Corpus
Christi, sub
alienis speciebus
latens est
figura eiusdem crucifixi.

Damasc.

Euthymius

9.

Notabile
pro expli-
catione re-
rum PP.

sub

sub quo later corpus Christi, quia videlicet Christi corpus in hoc Sacramento existit sub speciebus panis.

4. Vocant figurâ, non quod Christi corpus in eâ verè & realiter non cõtineatur, sed quod sit figura eiusdem corporis pro nobis crucifixi, quia corpus Christi sub vno statu potest dici figura sui ipsius considerati sub alio; vel ita vocari potest ratione externorum symbolorû, ratione quorum dici potest etiam quodammodo corpus Christi, vt illa particula, quodammodo, non excludat veritatem corporis, sed solum neget propriam speciem, & visibilem corporis formam. qua ratione dici potest in Eucharistia esse imaginem corporis Christi, quia nimirum illud later sub anigmate, non verò clarè apparet in propriâ specie, vbi obiter

Adverte Patres non dicere Eucharistiam esse solam figuram, vel solum signum corporis Christi, quod necesse esset hæreticis ostendere, si vellent quidquid efficere cõtra aperta Patrum testimonia, quæ asserunt Christi corpus in hoc Sacramento existere.

5. Quando Patres dicunt corpus Christi videri, tangi, id intelligunt ratione specierum, vnde ex similibus locutionibus nō potest argui, quod Christus sit in Eucharistia solum repræsentatiuè.

6. Cum dicunt Eucharistiam repræsentare corpus Christi, nolunt quod repræsentet tanquam nudum signum rem absentem, sed quod præsens corpus exhibeat sub sensibilibus speciebus contentum.

7. Sæpe hac de re sunt obscurius locuti, quod nolent ethnicis hoc mysterium clarè explicare, vnde illis est familiaris hæc phrasis: *nō sumus fideles*. vide Aug. cõcionem 1. & 2. in Psal. 33. Theodoretum dialogo 2. vbi agens de hoc mysterio ait: *non oportet agere dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysterijs non miratos*; vnde non debet quædã obscura eorum dicta in alienû sensum detorqueri, & contra aperta eorumdem vel aliorum Patrum testimonia vrgeri.

8. Eod quod agerent de re in Ecclesia certa, interdum paulo liberius sunt locuti, semper interim supponentes catholicam veritatem & sua verba in catholicum sensum ab alijs accipiendâ; quod sæpe vñ venire solet authoribus, qui de aliqua veritate indubitata, & de qua nulla est controuersia tractât. nam absque metu calumniæ paulo liberius loqui solent, & interdum solent yti vocibus in sensu minus proprio, vt ad aliud propositum bene scripsit Aug. lib. 1. contra Iulianum cap. 2. in medio, vbi de Ioanne Chrys. dicit: *disputas in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali questione nullus pulsabatur, vobis nondum ligantibus securus loquebatur*.

Denique Patres aliqua huic Sacramento conuenientia applicantes corpori mystico, scilicet Ecclesiæ, nullo modo intendunt veritati huius mysterij derogare. Aliquo ex his modis possunt explicari quæ contra huius mysterij veritatem asserunt hæretici, si antecedentia & consequentia attentè considerentur. hic etiam

Adverte quod dum hæretici conantur soluere varia testimonia, quæ ex Patribus pro cõfirmatione catholice veritatis asseruntur, quibus hoc Sacramentum dicitur adorandum, repugnent sibi ipsis in aliâ heresi, quâ negant imagines posse adorari. nam si in Sacramento Eucharistiæ sint nuda signa & symbola, sequitur iuxta eorû principia hoc Sacramentum nullo modo posse adorari, cum imagines iuxta illos adorari nequeat; cum ergo hæretici explicant Patres docetes hoc Sacramentum adorandum, seu corpus Christi adorandum, quod ideo sit

adorandum quod Christi corpus in eo sit, vt in signo, omnino cõtinent imagines posse adorari, & proinde in eo puncto sibi non leuiter repugnant.

3. Probari etiam solet hæc veritas, eod quod sacerdotès dicantur Christi corpus conficere, vt docet Hier. epist. 85. ad Euagrium; item ex miraculis, quibus ostenditur idem corpus esse in hoc Sacramento. videri potest Cypr. ferm. de lapsis & alij. 3. ex summâ curâ, quam semper adhibuit & etiamnum adhibet Ecclesia, ne hostiæ cõsecrata vel aliqua earumdem particula in terram decideret. 4. ex summâ curâ, quam veteres solebant adhibere, ne hoc Sacramentum vllò modo in manus infidelium deueniret. 5. eod quod fideles Eucharistiam suscipientes semper sibi persuasum habuerunt quod Christi corpus sumerent, quæ persuasio non fuit à Patribus correctâ, hæc & similia manifestè partim ostendunt, partim supponunt Christi corpus verè & realiter in hoc Sacramento.

Præter argumeta petita ab autoritate Patrum obijciunt hæretici varias ratiocinationes, quibus conantur ostendere fieri non posse, vt vnû & idem corpus sit in pluribus locis; sed id non repugnare fusi doceri solet in Philosophia. quod si intellectus non ita clarè capit, quâ ratione id fieri possit, nō statim debet negari. non videtur minus intelligibile, quomodo vna indiuidua, eaq; simplicissima natura per summam identificationem cõmunicetur tribus personis realiter inter se distinctis, quàm quod Deus vnû, & idem corpus in duobus locis vel bis constituatur; item non minus videtur intelligibile quod Deus absque sui mutatione, & imperfectione naturam creatam in tempore sibi copulauit in vnitatem personæ: propter quæ tamen mysterium Trinitatis, & Incarnationis non debet negari. Maior est Dei potentia quàm angustia intellectus creati, & potissimum humani, capere possint, & indignè sentit de diuina maiestate & potentia, quisquis existimat eam non plura, vel alia posse, quàm is possit capere, concludens terminis suæ virtutis intellectuæ virtutem Dei, & concludens aliquid repugnare, si non capiat quomodo fieri possit. sed de hac re ageatur infra.

Dices Matth. 28. Angelus dixit: *non est hic surrexit enim: sicut dixit*, quod nō aptè diceretur, si vnû & idem corpus pluribus in locis esse posset.

Resp. negatiuè, quia Angelus noluit significare quid per diuinam potentiam fieri posset, vel non posset, sed quid factum esset, & solet fieri. cum enim homines non soleant duobus in locis collocari, bene monet mulieres Christum non esse ibi, nec ibi quærendum, ex eo quod resurrexerit, & recesserit; quia nihil erat necesse, cur præter communem eorum cursum corpus Christi pluribus in locis constitueretur.

Obijciunt etiam varia Scripturæ loca, quibus conantur ostendere hoc mysterium repugnare, Ioan. 16. dicitur: *relinquo mundum & vado ad Patrem*; ex quo videtur confici corpus Christi non esse verè & realiter in hoc Sacramento, si enim mundum reliquerit, & in cælum assumptus sit, non est in altari.

Resp. hunc Scripturæ locum, vel mysterium ascensionis, nō repugnare præsentia corporis Christi in hoc Sacramento; quia Christus per ascensionem solum subtraxit suâ præsentia visibili, & corporali modo, quo fuerat conuersatus cum Apostolis, & alijs, idq; solum vult Euangelista cap. citato, non verò vult negare omnem aliam rationem, quâ sit in hoc mundo in Eucharistia modo quodam spirituali, & inuisibili, & vt pulchrè tradit Trident. sess. 13. cap. 1.

10.

Prob. 5. conclus.

Non repugnat idem corpus esse in duobus locis.

Obiectio ex Matth. 28. Resp.

Obiectio ex Ioan. 16.

Resp. Per ascensionem Christi subtraxit suam præsentia visibili;

non pugnant inter se, ut ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in cælis asideat iuxta modum existendi naturalis, & ut multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, eadem existendi ratione, quam epi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constanter credere debemus.

Obiectio altera.
Matth. 26.

Obijciunt 2. Matth. c. 26. post verba consecrationis calicis dicitur: dico autem vobis non bibam amodo de hoc gemmine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei, quod totidem pene verbis ponitur etiam apud Marcum cap. 14. igitur post consecrationem calicis in eo erat vinum, & non sanguis.

Resp.

Resp. neg. consequentiam, nam vel dicendum Matth. & Marcum verba suo loco non posuisse, cum Lucas cap. 22. ea ponat post esum Agni Paschalis ante institutionem huius Sacramenti, quo tempore placet varijs à Christo esse prolata; iuxta quorum sententiam non potest sumi argumentum ad probandum Christi sanguinem non esse in Eucharistia, vel cōcedendum Matth. & Marcum servare quidem ordinem & seriem rei gestæ, ut voluerunt quidam Patres, inter quos August. tract. 25. in Ioan. qui censet Lucam locutum fuisse per anticipationem, & bene probat Valq. disp. 196. cap. 5. & 6. non tamē velle quod post cōsecrationem natura & substantia vini remaserit, sed citata verba referri ad vinum ante consecrationem in calice existens, hoc sensu: nō bibam amodo vinum, quod in calice posui & sub cuius speciebus meū sanguinem vobis præbui, donec resurgam, vel 3. possumus referre ad tempus subsequens consecrationem, ita tamen ut id non dicatur de vino ratione suæ substantiæ, sed solum ratione specierum, hoc sensu: non bibam amodo de eo, quod sub vini specie vobis præbui; non enim est insolitum Scripturæ aliquid vocare nomine rei, sub cuius formā apparet; sic Angeli apparentes in forma virili vocantur viri, Gen. 18. & 19.

Phrasi Scripturæ læpe aliquid vocatur nomine rei, sub cuius formā apparet.

ARTICULVS II.

Virum in hoc Sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem?

INQUIRIT, num simul cum corpore & sanguine Christi sub accidentibus remaneat panis & vini substantia, refertque sententiam quorundam id asserentium; sed

Resp. neg.

Respondet negatiue.

12.

Berengarius tenuit cum corpore Christi manere panem & vinum.

Notandum ergo Berengarium post retractationem sui erroris factam in Concilio Romano sub Nicolao 2. docuisse in Eucharistia Sacramento esse quidem corpus & sanguinem Christi, simul tamen remanere panis & vini substantiam, ut refert Guitmundus lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Christi, & lib. 3. quod in Concilio Romano sub Gregorio 7. reuocauit.

Alij dixerunt quod a impijs sumitur, retinere substantiam panis.

2. Quidam alij, ut refert idem Guitmundus lib. 1. citato, censuerunt panem & vinum ex parte solum mutari in corpus & sanguinem Christi, eo quod iudicarent indignum carnem Christi sumi à peccatoribus, & proinde iudicabant partem, quæ ab impijs sumitur non cōverti in Christi carnem, sed substantiam panis retinere, vel ut alij, panem per consecrationem conuerso redeunte ad suam naturam, cum accedunt impij.

3. Alij dixerunt panem in hoc Sacramento re-

manere vnitum hypostaticè Verbo diuino sicut est humanitas, cuius sententiæ primū authorem Bell. lib. 3. de Eucharistia cap. 11. facit Rupertum Abbatem Tuitiensem, alij tamen censent fuisse Walarum sancti Anselmi cōtaneum, quod propugnat Vasquez disp. 180. cap. 1. num. 10.

4. Quidam Ioannes, Theologus Parisiensis, ut refert Waldensis tomo 2. cap. 65. docuit panem vnitum Verbo, non immediatè, ut vult præcedens sententia, sed mediante humanitate.

5. Lutherus, referente Bell. cap. citato, quamuis existimaret non pertinere ad fidem vtrum substantia panis remaneat in Eucharistia, censebat tamen probabilius remanere, & ita explicabat, ut interdum incideret in tertiam sententiam, interdum censeret ideo corpus Christi esse in Eucharistia cum pane, quia illud corpus propter vniōnem hypostaticam cum Verbo est vbique. Priorem explicandi modum tenet aliqui Lutherani, alij posteriorem, quorum posteriorum doctrina quantum spectat ad præsens institutum, non differt à sententia hereticorum negantium realem Christi præsentiam in hoc Sacramento, quamuis enim in eo differant, quod dicant humanitatem Christi esse vbique, & per consequens in pane, id tamen non censent fieri vi consecrationis, itaque iuxta illorum principia per verba consecrationis non ponitur Christi corpus in hoc Sacramento, sed tantum eius figura.

6. Aliqui dixerunt in hoc Sacramento remanere formam substantialem panis & vini, materiā illorum conuersā in corpus & sanguinē Christi, ita refert D. Th. infra art. 6. sine nomine authoris.

7. è contrario Dur. in 4. dist. 11. q. 3. existimauit per consecrationem corrumpi quidem formam panis & vini, sed simul cum eorumdem accidentibus remanere materiam.

Sed certā fide tenendum est per verba consecrationis ita poni sub specie panis corpus Christi, ut sub eadem substantia panis non remaneat, quod proportionē dicendum de sanguine, & vini substantiā, definiunt in Concilio Lateranensi, & refertur cap. Firmiter §. una, de summa Trinitate, vbi dicitur: cuius (scilicet Christi) corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, in Conc. Cōstantiensi sess. 8. in quā damnantur hi duo articuli Wicleff: Substantia panis materialis & vini materialis manent in Sacramento altaris & ceterum: Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento. videri potest sess. 45. eiusdem Concilij, in quā prædicta condemnatio confirmatur. In Flor. decreto de Sacramentis dicitur: ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinē conuertuntur. In Trid. sess. 13. can. 2. si quis dixerit in sacrosancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini unā cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia apertissime transubstantiationem appellat, anathema sit in quo canone clarissime, & plenissime damnantur omnes recentiores sententiæ, cum enim definiatur non remanere substantiam panis & vini, non solum damnatur error Berengarij, sed etiam eorum, qui dicebant illam remanere respectu partis, quæ peccatoribus distribuitur; similiter sententia asserens panem hypostaticè vnitū verbo vel immediatè, vel mediatè; item sententia Lutheranorum qui censent Christi corpus

Alij manent panem vniū hypostaticè verbo diuino.

Errores alij.

Cathol. veritas. Vnde dicitur: transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, in Conc. Cōstantiensi sess. 8. in quā damnantur hi duo articuli Wicleff: Substantia panis materialis & vini materialis manent in Sacramento altaris & ceterum: Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

Flor.

Per Trid. condemnatur error recentiorum.

est corpus idcirco esse sub specie panis, quia est ubique, atque adeo cum illo remanere panis substantiam, quae sententia ex eo confutatur quod definitur corpus Christi esse sub specie panis, non quomodo cumque, sed per conversionem totius substantiae panis in illud. per quam partem rejiciuntur etiam duae postremae sententiae, quae clarius damnantur per sequentem particulam; manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; nam Concilium illas opponit cuiusque substantiali entitati, quae in pane inveniatur, & definit post consecrationem, ita manere species, ut sola remaneant pereunte omni eo, quod est de substantia panis; ergo perit tam materia, quam forma, ita ut sententia asserens formam panis remanere, & sententia Durandi asserens remanere materiam reipsa sint haereticae, suppositae communi, & vera Philosophorum sententia, quod materia prima non sit accedens, sed pars substantialis suppositi, similiter & forma panis.

Ex his vltimis habemus esse dogma fidei, quod post consecrationem desinat substantia panis esse sub eiusdem speciebus, quod est contra Lutherum.

Eadem veritas probatur ex Patribus; Cyrillo Hierosolymitano, catechesi 4. mystagogica dicens, aquam aliquando mutavit in vinum &c. & non erit dignus, cui credamus quod vinum in sanguinem transmutasset; & infra: quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus, nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.

Autore sermonis de cena Domini apud Cyprianum dicente: panis iste, quem Dominus discipulis porgebat, non effregit, sed natura mutavit, omnipotentia verbi factus est caro. consimilia sapienter eodem sermone repetuntur. Eusebio Emiseno: inuisibilis sacerdos visibilis creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo se creta potestate convertit. & infra: tibi nomen, & impossibile videri non debeat quod in Christi substantiam terrena & mortalia convertuntur. refertur can. quia corpus, de consecratione, dist. 2. Homilia in Dominica Palmarum ad illa verba: cenantibus autem eis, ecce sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem & vinum virtute ineffabilis in corpus & sanguinis substantiam convertit. &c. & infra: nisi enim panis & vinum in eius carnem & sanguinem converterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur & biberetur. mutatur enim ista in illa, coequebantur & bibantur illa in istis &c. dixit enim tunc per se, dicit & modo per suos ministros, hoc est corpus meum, & tanta est eius verba virtus, & efficacia, ut statim fiat quod dicitur. Ambros. lib. de ijs, qui mysterijs imitantur, cap. 9. quantis vimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur; &c. & infra: quod si tantum valuit sermo Elias ut ignem de caelo deponeret, non valet Christi sermo ut species mutet elementorum &c. sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in alia mutare, quod non erant; quibus verbis multis ostendit post consecrationem non remanere substantiam panis in Eucharistia, sed mutari in corpus Christi. Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. didici quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum, & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi celestis quod nullo modo dici posset si panis substantia remaneret. Damasceno lib. 4. de fide cap. 14. panis, vinumque & aqua, per invocationem, & aduentum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutatur

in corpus & sanguinem. Plures praefero qui hanc veritatem clarissime tradiderunt.

Ex quibus patet mendacium haereticorum asserentium transubstantiationem esse inventum Innoc. 3. in Concilio Lateranensi, Sancti Thomae, & Scholasticorum, eamque tempore Sancti Bernardi nondum orbi innotuisse; quod esse falsum patet ex eo quod antiquissimi Patres citati & alii tradant panem transmutari, mutari, converti in corpus Christi: item ex definitionibus Conciliorum Romanorum sub Nicolao 2. & Gregorio 7. idem manifeste patet.

Probatur 2. ex ipsa forma consecrationis, ex qua Patres colligunt mutationem panis in corpus, & vini sanguinem, & ut Trident. sess. 13. cap. 4. quoniam Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo per suum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denovo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius &c. quod ut ostendatur

Suppono species panis, & vini non se habere per modum cuiusdam figurae continentis, sicut se habet figura dolii &c. ratione cuius non solum dici potest, hoc est dolium, sed etiam vitato sermone dicitur, hoc est vinum. hoc supposito

Ostenditur formam ad sui veritatem requirere, ut substantia panis desinat esse sub speciebus. In hac propositione: hoc est corpus meum, praedicatum non potest tribui panem tanquam subiecto, cum panis, & corpus Christi res sint plane disparatae, quarum una non potest in recto praedicari de altera; ergo ut propositio sit vera, requiritur ut absit substantia panis.

Consequentia probatur, si remaneret panis substantia, quantum est ex vi propositionis, corpus Christi de eo diceretur, quod fieri nequit.

Confir. si remaneat panis, etiam si dicamus Christi corpus latere sub eiusdem speciebus, species illum respicient tanquam subiectum connaturale; ergo per pronomen Hoc in eo casu non poterit demonstrari corpus Christi, non poterit praedicari de illo subiecto, Hoc, absolute. Consequentia probatur, quod praeter naturalem exigentiam rerum ponitur sub aliquo accidente simul cum subiecto naturali eiusdem accidentis, non potest absolute fortiri rationem praedicati in propositione, qua subiicitur accedens in concreto, sed potius subiectum naturale talis accidentis.

Dices si remaneret panis cum Christi corpore, corpus vere esset in illo aggregato; igitur posset praedicari.

Resp. neg. consequentiam, seu dico non posse praedicari in propositione, in qua ponatur demonstrativum Hoc, quamvis enim dici posset: hic, vel ibi est corpus Christi, tamen non posset dici: hoc est corpus meum, quia pars alicuius aggregati non potest proprie praedicari in recto de aggregato posito in recto, v. g. de cumulo auri, & argenti non potest dici, hoc est aurum.

Confir. si qua praedicatio in recto deberet admitti de tali aggregato, non posset admitti ea, in qua neglecto subiecto connaturali accidentium praedicatur aliud quod non respiciunt tanquam subiectum inhaesionis; unde si quod praedicatum esset tribuendum, dicendum esset: hoc est panis, non vero: hoc est corpus Christi.

Ex his apparet solidam eam esse collectionem, qua

Corollar. Transubstantiatione non esse inventum. Innoc. 3. in Conc. Lateran. nec Scholasticorum.

15. Prob. 2. conclus. ex forma consecrationis.

Species non se habent per modum cuiusdam figurae continentis.

Pars aggregati non potest proprie praedicari in recto de aggregato posito in recto.

quâ beatus Thomas hic cum communissima Scholasticorum sententia ex formâ consecrationis colligit panem non manere in Eucharistia post consecrationem, & veritatem propositionis non potuisse seruari manente panis substantia cum Christi corpore.

16.

Coroll.
cōtra Sco-
tum.

Ex quo vltérus sequitur minùs cautè locutum Scotum in 4. dist. 11. quæst. 3. §. *hic duo videnda*, qui censet veritatem propositionis posse perseuerare, quamvis substantia panis simul cum Christi corpore remaneret, & propositionem; *hoc est corpus meum*, enuntiare præsentiam Christi in Eucharistia, siue panis simul remaneat, siue pereat, Ecclesiam verò edocet à Spiritu S. declarare accipi in secundo sensu. videri potest §. *ad argumenta*. sed contrarium manifestè patet ex Trident. loco citato, similiter ex Patrum doctrinâ, qui ex veritate formæ acceptæ in sensu proprio colligunt mutationem, transmutationem, conuersionem panis in corpus Christi. eam verò sumi in proprio sensu patet contra Scotum ex Trident. sess. 13. cap. 1. & probatur contra Lutherum & Lutheranos, eo quòd aliàs non habeant fundamentum asserendi Christi corpus verè & realiter esse in Eucharistia, cum rejiciant traditiones & Patrum consensum.

Dices hanc propositionem: *hoc est corpus meum*, posse enuntiare ratione vnionis hypostaticæ.

Resp. id dici non posse, nam si per *Hoc*, intelligatur panis, corpus Christi prædicabitur de pane, & proinde vna natura de aliâ, quod fieri non posse patet in mysterio Incarnationis, in quo ratione vnionis hypostaticæ natura diuina non potest prædicari de humana, vel contrâ. præterea quamvis subiectum, *Hoc*, sumeretur concretè pro subsistente in pane, non posset dici esse corpus, quemadmodum non potest dici de Christo: *Dens est humanitas*, vel *anima*. Ergo ex veritate formæ, *hoc est corpus meum*, habemus corpus neq; posse tribui panis, neque supposito, in quo sit panis, & cum constet nò posse tribui propriè aggregato ex pane & corpore, relinquatur quòd ex formâ solidè colligatur corpus Christi ita esse in Eucharistia, vt panis simul inueniri nequeat, vel sine vnione cum corpore, vel vnitus corpori mediâtâ, vel immediâtâ vione.

17.

Refellitur
varijs modi
dicendi in-
tuitu dubij
allati.

Ex quo refellitur primus, tertius, & quartus modus dicendi, quorum duo postremi etiam ex eo refelli possunt quòd absque Scripturâ, vel Ecclesiæ autoritate, & absque omni fundamento nouam vnionem hypostaticam inducant, & proinde tertia, & quarta sententia relata ex eo etiam capite planè est temeraria.

Refellitur etiam secundus modus dicendi, eo quòd forma ad sui veritatem postulet, & Christi corpus ponatur sub speciebus, siue postmodum manducetur ab impio, siue non; semel autem positum tamdiu perseueret quamdiu perseuerat species, vt sentit Ecclesia, & satis colligitur ex Trident. sess. 13. can. 2. 3. & 4. præterea etiam refellitur, nam vel corpus Christi non ponitur per consecrationem, quo casu impius est sumpturus, vel positum definit esse sub speciebus: si prius dicatur, relinquatur incertissimum esse in Ecclesiâ, num sacrificium peragatur, item sacerdos exponit populum perpetuo periculo idololatriæ materialis, cum nunquam possit constare, an sacerdos sit bonus, id autem est graue malum in Ecclesiâ. 3. nunquam aliquis peccaret indignè communicando contra Apostolum 1. ad Cor. 11. *qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non di-*

indicans corpus Domini; nam etiam si peccaret existens causa cur sub speciebus non poneretur corpus Christi, non tamen peccaret corpus indignè sumendo, cum non existeret sub speciebus. Si dicatur posterius, sequitur absurdum quòd iam tertio loco attulimus. præterea Apostolus docet impios manducare corpus Domini. 3. permanentia corporis Christi sub speciebus esset valde incerta, quòd est etiam absurdum.

Refellitur etiam sextus modus dicendi: nam si forma panis remaneat, non poterit de ea prædicari corpus Christi, nec etiam poterit prædicari de aggregato constante ex tali formâ, & Christi corpore. Præterea cum iuxta illam sententiam forma non vniatur Verbo hypostaticè, sequetur dari formam materialem extra omne suppositum, & nulli inexistente, quòd non nisi per miraculum fieri potest, & præter omnem rerum ordinem, cum forma materialis tam in sui productione, quam conseruatione pendeat à materia, cui postulat inexistere.

Refellitur septimus modus dicendi, qui etiam, vt patet ex Trident. can. 2. citato, & Constantiensis, est hæreticus. adde quòd materia panis in hoc mysterio non constitueret vllum compositum substantiale, extra quòd non solet existere.

Denique ex prædictâ formâ refelli potest error Vbiquistarum. Adde Lutheranos asserentes Christi corpus esse vbique, id facere, vt contra Sacramentarios defendant corpus Christi esse in hoc Sacramento, quòd eos parè iurare potest, quia iuxta illorum principia corpus Christi non est hic in consecrationis, sed ratione illius debent fateri solum specialiter representari, & ita incidunt in id quòd vitare volunt. similiter iuxta illorum principia non possumus dici manducare corpus Christi, cum enim sit vbique, non potest dici moueri, traieci in stomachum &c. & ita incidunt in sententiam Calvinistarum asserentium, quòd Christi corpus in hoc Sacramento solum manducetur per fidem. omitto argumenta quibus, in materia de Incarnatione refelli solet Vbiquitas humanitatis Christi.

Ex eadem forma patet Ecclesiam in Concilio Lateranensi & Trid. cap. 4. & can. 2. citatis aptè hanc conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem appellare transubstantiationem, per quam designat conuersionem totius substantiæ in aliam substantiam.

Cum in hoc Sacramento nulla pars physica panis remaneat, difficultas est, num remaneat existentia panis & vini? ita enim senserunt aliqui eo quòd illa non possit conuertere in existentiam corporis Christi, vt pote increatam (existant autem humanitatem in Christo existere existentia Verbi). alij verò insensuerunt, quòd existentia accidentia existere existentia substantiæ, quæ proinde sublatâ substantiâ remaneat tanquam existentia accidentium.

Sed hæc sententia est omnino improbabilis. 1. quia omnino verius est existentiam non distingui à parte rei à re, cuius est existentia. 2. minus existentia est esse id, quo res constituitur extra nihil, & est actus ipsius essentia illam immediatè terminans, & proinde ex eo quòd existentia alicuius rei remaneat, potest & debet concludi rem ipsam remanere; & ita hæc sententia indirectè repugnat Concilio Trident. definiti per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi.

Ad prius

Ad prius in contrarium allatum Resp. corpus Christi habere propriam creatam existentiam, vt communis docetur in materia de Incarnatione. 2. etiam si existeret existentia diuina, id non obstarat, quia non est necesse dicere quod existentia panis debeat mutari in diuinam, sufficit, si dicatur, quod simul cum panis natura mutetur in substantiam corporis, vel quod per concomitantiam definat esse.

Ad posterius dico accidentia habere propriam existentiam sibi proportionatam distinctam ab existentia substantiae. vnde non est quod fingatur existentiam substantiae remanere, vt accidentia per illam remaneant in hoc Sacramento in rerum natura. Assumptum communis docetur in Philosophia, & contrarium non nititur solido fundamento, vnde caret probabilitate quod accidentia in hoc Sacramento existant existentia panis.

Nullo etiam modo est probabile, quod substantia panis remaneat, tum quia vt summum est modus, qui non potest remanere pereunte re, cuius est modus, tum quia dicendum esset substantiam remanere, vt accidentia panis terminaret, atque adeo deberet illis vniri, quod non fieret sine nouo miraculo, cum enim pani inexistebant, non videntur immediatè eius substantiae, sed entitati panis.

3. Caret probabilitate quod entitas panis remaneat sub esse corporis Christi. 1. quia id disertè repugnat Trident. definienti totam substantiam panis conuerti in corpus Christi, cum illa entitas sit substantia, vel de substantia panis.

2. Quia inde sequeretur corpus Christi in Eucharistia non esse idem cum eo, quod ex Maria Virgine natum est, quod pro nobis crucifixum est, cum illa entitas non sit nata ex Maria Virgine, non sit cruci affixa.

Obijciunt 1. Lutherani quod post consecrationem saepe vocetur panis.

Resp. ita vocari, vel quia materia, ex qua fit Sacramentum, est panis, vel quia sub speciebus panis latet Christi corpus, vel addi aliquid quo sufficienter demoretur non sumi pro pane vulgari, sed spirituali, hoc est Christi corpore. hoc vel simili modo explicari possunt variae Patrum sententiae, quibus videtur indicari quod panis sit in hoc Sacramento.

Obijciunt 2. Patres, Chrysost. epist. ad Caesarium monachum, dicentem, quod panis post consecrationem non vocetur amplius panis, licet natura panis in ipso permaneat.

Resp. hanc epistolam non esse Chrysost.

2. Theodoretum dialogo 2. ubi ait: neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura, manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & robor & tangi possunt, sicut prius: intelliguntur autem esse, quia facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quia illa sunt, quia creduntur.

Resp. substantiam, quae dicitur remanere, non esse panem seu substantiam quae sit primi praedicationis, sed esse naturam & entitatem accidentium, quae etiam post consecrationem remanet. Theodoretus enim vult per consecrationem non ita deperdi totum quod antea erat, vt nihil omnino remaneat, sed remanere ipsam entitatem accidentium talem, qualis erat ante consecrationem, & posse tangi: nec id est contortum, cum etiam vsu philosophico dicatur: substantia, vel natura albe-
dis &c. & Theodoretus dicat, neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua na-

tura, per signa autem panis non possit intelligi, sed species, cum haec sint signa, non autem panis.

3. Gelasium dicentem: circa Sacramenta, quae sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuina efficiuntur consortes naturae, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis.

Resp. illum authorem non esse Gelasium Papam, sed alium, cuius sententia, vt & testimonium Theodoretum à quibusdam explicatur, quod per naturam & substantiam panis non intelligatur ipsa entitas panis, sed accidentium, quae fortiantur illius nomenclaturam, quia eandem vim retinent, quam habebant, cum panem afficerent, nam possunt nutrire & confortare. Certè eò quod aliqui paulò liberius vel minus propriè locuti fuerint, cum non subesset periculum erroris, non arguit quod idem senserint quod haeretici, qui eorum testimonijs abutuntur ad suos errores stabilien-

dos.

4. Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. sitan-
ta vis est in sermone Domini, vt ea incipiant esse, quae non erant, quanto magis operatorius est vt sint, quae erant, & in aliud commutentur?

Resp. veriore huius loci lectionem non habere illa verba: vt sint quae erant, sed ita legendum, vt quae erant, in aliud commutentur, quam lectionem esse germanam patet ex scopo Ambros. volentis ostendere, quod non minus possit Deus mutare in aliud id, quod erat, quam id, quod non erat, creare vel producere.

Resp. tamen 2. retentà illà lectione, dici posse Ambros. velle operatorio Dei sermone fieri posse, vt sint, quae erant, id est, quoad accidentia, & speciem externam permaneant, & in aliud commutentur quoad substantiam, quia nimirum remanentibus speciebus earum substantia definit esse & in aliud mutatur.

5. Irenaeum lib. 4. contra haereses cap. 34. do- centem Eucharistiam ex duabus rebus, terrenā, & caelesti compositam esse.

Resp. per terrenam Irenaeum non intelligere panis vel vini substantiam, sed eorundem accidentia, sub quibus Christi corpus vnà cum diuinitate delitescit.

Obijciunt 3. quod ex operationibus, & effe-
ctionibus colligatur substantia, vt patet communi experientia, & ex modo inuestigandi diuersas re-
rum naturas; in hoc autem Sacramento aduertimus operationes & affectiones panis, cum in Eucharistia sit aliquid quod sapiat, nutriat, recreet &c.

Resp. argumentum nullo modo fauere Luthe-
ranis fatentibus vnà cum pane sub speciebus late-
re Christi corpus, nam etiam videtur esse princi-
pium lumine naturae notum sub ipsdem acciden-
tibus non inueniri duas naturas plane disparatas,
& substantias, quarum vna non respiciat alteram,
atque ita si quid concludat argumentum, potius
fauere Sacramentarijs negantibus realem Christi
praesentiam in hoc Sacramento.

Resp. igitur ita concludi, nisi altiori aliquo lu-
mine sciamus alienam substantiam sub huiusmo-
di affectionibus latere: tunc enim affectiones non
necessariò inducunt in notitiam subiecti connat-
uralis reipsa sub illis existentis; cum ergo ex fa-
cto Christi, & institutione, & definitione Eccle-
sia, & constanti Patrum doctrina habeamus cor-
pus Christi latere sub speciebus panis, huiusmodi
species non arguunt substantiam panis sub ipsdem
reman-

Accidentia
non solent
naturaliter
afficere
substantias
planè di-
uerfas.

Obiectio
eorum qui
volunt pa-
nem vini
corpori
Christi hy-
potheticè.
Resp.

remanere, quin potius, supposita fide præsentia Christi sub illis, lumen naturæ suadet sub iisdem non remanere panis substantiam, cum accidentia non soleant naturaliter afficere substantias planè diuerfas, non sit autem opus fingere miraculum Eucharistia mysterio non necessarium, immò minus conueniens.

Obijciunt præterea ex sensu formæ, quod com-
modius explicabitur quando de forma erit ser-
mo.

Pro sententia, quæ asserit panem hypostaticè
viri Verbo vel corpori Christi, & ita remanere
in hoc Sacramento, potest obijci, quod varij Pa-
tres hoc mysterium comparēt cum Incarnatione.

Resp. non comparare, quod sentiant per om-
nia esse similia, sed quia sicut in Eucharistia sunt
species panis, & caro Christi inconfuse, ita per
Incarnationem natura diuina & humana in Chri-
sto sine confusione sint inter se vnita.

ARTICVLVS III.

*Utrum substantia panis, vel vini post
consecrationem huius Sacramenti
annihilatur?*

20.

Sensus arti-
culi.

Reprobat
duos mo-
dos dicendi.

Ostendit
non resolui
in præiac-
tè materia,
siue intelli-
gatur ma-
teria pri-
ma, siue
elementa.

POSITO quod sub speciebus non remaneat
substantia panis vel vini, inquit quid de illis
fiat, & reprobat duos hac de re dicendi modos,
quorum vnus est resolui in præiacentem materiā,
alter est annihilari. & quidem per præiacentem
materiā non videtur intelligi materia prima,
quæ est primum subiectum substantiale, cum ma-
teria prima iuxta D. Thom. non possit existere si-
ne forma, vel saltem naturalis rerum ordo id non
patitur, neque Eucharistia mysterium id requi-
rat: siue ergo materia prima possit existere sine
omni formā substantiā, siue non, non est asseren-
dum substantiam panis in illam resolui per conse-
crationem. 2. materia prima hic videretur relin-
qui, vt subfaret accidentibus, quod non est asse-
rendum, cum accidentia in hoc Sacramento exi-
stant sine subiecto.

Per materiam ergo præiacentem intelligenda
erunt elementa, in quæ panis substantia resolue-
retur, quod etiam dici nequit: vel enim illa ele-
menta existent sub speciebus vnā cum Christi
corpore, vel alibi: prius dici non debet. 1. quia Ec-
clesia nullam aliam substantiam agnoscit sub spe-
ciebus, quā Christi corpus. 2. cum accidentia
panis non respiciant huiusmodi elementa tanquam
subiectum connaturale, elementa non poterunt
sub illis conservari sine miraculo, quod fingitur
absque fundamento. adde eo casu non futuram
veram propositionem: *hoc est corpus meum*, cum
corpus esset pars aggregati, & proinde non posset
in recto prædicari de aggregato, vt ex dictis art.
præcedenti constat. non potest etiam dici quod
elementa, in quæ substantia panis est resoluta, ali-
bi existant, quia vel recederent in tempore, vel in
instanti, non possunt moueri in instanti, cum cor-
pus non possit in instanti deferre locum quan-
tum adæquatum, & alium adæquatum acquirere;
non debent etiam dici moueri in tempore, nam
eo casu dicendum esset vel aliquo tempore sub
eisdem accidentibus saltem aliquā parte acciden-
tium simul esse Christi corpus & elementa, cum
corpus Christi ponatur in instanti sub omni parte
accidentium panis; vel si dicantur recedere ante fi-

nem consecrationis, sit dicendum partem saltem
accidentium destitui subiecto substantiā, quod
non potest asseri, cum accidentia solum priuentur
subiecto substantiā, quando corpus Christi sub
illis ponitur. denique illa resolutio panis in ele-
menta potest ex eo refelli, quod ex illa sequeretur
panem non mutari, vel conuerti in corpus Chri-
sti, sed in huiusmodi elementa.

Vtrum hæc panis desitio sit annihilatio, infra
examinabitur.

ARTICVLVS IV.

*Utrum panis possit conuerti in cor-
pus Christi?*

PRIMA conclusio, panis conuertitur in cor-
pus Christi.

Probat, corpus Christi non ponitur in hoc
Sacramento per motum localem; ergo per con-
uersionem panis in ipsum.

Conclusio est certa, quam tradit Trident. sess. 13.
cap. 4. dicens: *per consecrationem panis, & vini con-
uersionem fieri totius substantia panis in substantiam
corporis Christi, quod ipsum definitur can. 2. eiusdem
sess. tradit etiam in Florent. de Eucharistia Sa-
cramento.*

Probat ex Patribus citatis art. 1. & 2. Cyrillo
Hierosolymitano catechesi 4. mystagogicā, di-
cente vinum transmutari in sanguinem. Ambrosi-
lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. docen-
te mutari species elementorum. Emisleno di-
cente: *in multis sacerdos visibiles creaturas in substan-
tiam corporis & sanguinis sui verbo suo secretā po-
testate conuertit.* similia tradunt Damascenus lib.
4. de fide capit. 14. & Euthymius cap. 64. in
Matth.

Probat 2. ex eo quod forma consecrationis
ad sui veritatem postulet, vt substantia panis non
remaneat simul cum Christi corpore sub specie-
bus, & ex eo quod panis desinat esse, vt art. præce-
denti dictum est. ex his enim sequitur, & quod
corpus Christi non ponatur in hoc Sacramento
per motum localem, & quod ponatur per con-
uersionem panis in ipsum. Iuxta hanc explicatio-
nem videtur intelligenda probatio D. Thom. ne-
que enim videtur velle quod ita sit necesse cor-
pus Christi poni in hoc Sacramento per motum
localem, vel per conuersionem panis in ipsum, vt
alius modus sit planè impossibilis, sed quod sit ne-
cesse ita fieri, cum corpus Christi non ponatur
hic per motum localem, & constet substantiam
panis perire.

Secunda conclusio; hæc conuersio est superna-
turalis, solā Dei virtute effecta. tradunt Concilia
& Patres.

Probat, est totius substantia in substantiam,
quod superat vires agentis naturalis; hinc, vt tra-
dit responsio ad 1. & 2. in hac conuersione non
datur aliquid substantiale commune, quod sit sub
vtroque termino, quia illud solum inuenitur in
conuersione formali, seu, in quā formā succedit
formæ. idem patet ex Concil. Florent. §. tertium,
& ex Lateranensi, cap. firmiter, §. vna, de summa
Trinitate.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Virum in hoc Sacramento remaneant
accidentia panis & vini post
conuersionem?

AFFIRMAT. est de fide definitum in Trid. sess. 13. can. 2. ubi definitur remanere species panis, & in Constantiensi, sess. 8. art. 2. Idem patet ex Lateranensi, & Florent. citatis. Idem tradunt Patres, author sermonis de cena Domini apud Cyprianum, Cyrill. Hierosolymitanus catechesi mystagogicâ, & sensus ipse percipit.

Tres huius rei congruentias assignat S. Th. 1. ne horreamus Christi corpus, & sanguinem sub proprijs speciebus sumere. 2. ut hoc mysterium occultetur infidelibus, ne videlicet ab illis irrideatur, quod facile contingeret, si Christi corpus sub propria specie praeberetur. 3. ut id proficiat ad fidei meritum, nam fides exercetur dum sub alienis speciebus latens Christi corpus sumimus.

Notandum ex responsione ad 2. & 3. ex eo quod accidentia hic remaneant, sensum non errare, quia non iudicat panis substantiam remanere, sed simpliciter suum obiectum percipit: error verò, qui inde posset nasci in intellectu, tollitur, seu impeditur per fidem dictantem quod substantia panis definitur in Eucharistia, & quod Deus conferret accidentia absque omni substantiali subiecto.

DVBIUM.

An omnia accidentia remaneant?

QUESTIO non potest intelligi de omni inherentiâ, cum sit de fide accidentia panis in hoc Sacramento esse sine subiecto substantiali, ut patet ex Concilio Constantiensi citato, sed de alijs accidentibus, potissimum realibus.

Resp. omnia remanere. Probat. 1. veritas formae solum exigit, ut definat substantia panis, non autem vllum eius accidens; ergo dicendum est omnia accidentia panis remanere. Consequentia probatur, nihil hic videtur perire nisi quod exigit veritas formae. Confr. non potest assignari cum fundamento aliquid agens, à quo hæc accidentia deservantur dum fit consecratio, ergo dicendum est remanere.

Probat. 2. transsubstantiatio non exigit interitum accidentium panis, ergo non est asserendum vllum perire.

3. Quantitas non perit, ut suppono, & ostenditur infra; non pereunt etiam quatuor primæ qualitates, vel vlla earum, quia si vllæ periret, substantia panis non posset esse sub alijs, & proinde nec corpus Christi, quod pani succedit. Non pereunt etiam aliæ qualitates ex primis ortæ, cum nulla huius interitus causa possit assignari.

Confr. huiusmodi secundæ qualitates oriuntur ex certâ primarum temperie, si ergo non pereant primæ qualitates, earumque temperies, non pereunt secundæ, odor, sapor, color &c.

Dices: solum debent remanere accidentia quædam sensibilia, ut corpus Christi per illa sortiatur rationem sensibilis, & ponatur Sacramentum quod est signum sensibile, ergo non est quod dicatur omnia remanere, præsertim cum sit verisimile ut pane esse quædam occultas proprietates.

Resp. neg. assumptum: quamvis enim ad rationem Sacramenti in genere sufficeret remanere aliqua accidentia sensibilia, tamen spectato modo, quo Christi corpus in hoc Sacramento ponitur, id in præsentia dici nequit, cum ponatur per conuersionem panis in ipsum; cum enim ad huiusmodi conuersionem solum requiratur interitus panis, nec possumus assignare causam, per quam aliqua panis accidentia intereant, non est dicendum vlla interire. Ad id quod dicitur de occultis proprietatibus panis.

Resp. si ea dentur (de quo iam non disputo) etiam hic remanere, quia substantia panis sine illis permanere non posset, & proinde nec corpus Christi, quod pani succedit, & quod requirit, ut panis substantia sub ijs accidentibus posset remanere, ad hoc ut conseruetur Christi corpus in hoc Sacramento; destructis autem proprietatibus substantia panis perseverare non posset, unde etiam si illæ proprietates profluant à formâ panis, debent hic remanere propter rationem allatam.

Aduerte conclusionem non ita intelligi, quod nulla post consecrationem possit in accidentibus variatio inueniri, cum constet accidentia posse recipere alterationem in colore, sapore, raritate; sed quod intendimus, est præcisè per consecrationem non deperdi accidentia panis, sed remanere omnia saltem realia, eorumque modos, exceptâ inherentiâ, quæ proportionem sunt intelligenda de accidentibus vini.

Petes, quàm certa sit responsio: aliqui existimant solum esse probabilis remanere omnia accidentia realia, eorumque modos. ita Suarez disp. 56. sect. 1. conclus. 2. Alij verò censent esse de fide, ut Vasquez disp. 194. cap. 1. num. 4. Sotus disp. 9. quaest. 2. art. 5. §. existit autem; censet ita esse certam, ut eam negare sit error.

Sed videtur mediâ viâ incedendum. itaque existimo quidem esse certum omnia accidentia realia eorumque modos remanere, id tamen non esse de fide, aut fidei proximum. Priorem partem videntur probare argumenta à nobis facta, quæ, suppositis fidei principiis, intra limites rationis naturalis videntur clarè ostendere huiusmodi accidentia remanere. Secunda pars ostenditur, quia non videtur habere ex Ecclesiæ definitione, quod omnia accidentia panis remaneant: nam quamvis in Florent. habeamus remanere species, & in Trid. dicatur: remanentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; non inde conficitur quod Concilia definiant omnia accidentia à nobis relata remanere. potest enim aliquis dicere remanere species, etiam si non admittat omnia accidentia, v.g. aliquos modos, remanere nihil etiam contra definitionem admittet, qui per species intelligit accidentia quædam sensibilia.

Dices Trident. supra dicit: manentibus dumtaxat speciebus, quibus verbis definit nihil aliud remanere præter species, & proinde per species debent intelligi omnia accidentia, vel certè debemus dicere Concilium definire alia accidentia non remanere, quod nullus asserit, vel potest asserere.

Resp. neg. alterutrum esse asserendum, quia quod dicitur: manentibus dumtaxat speciebus, opponitur substantiæ panis, & per hoc Concilium vult contra Lutheranos definire non remanere panis substantiam, sed dumtaxat species, ita ut per particulam, dumtaxat, non fiat vlla oppositio cum accidentibus, vel sub speciebus comprehendantur omnia accidentia, sed oppositio instituat cum substan-

Resp.

Accidentia
possunt re-
cipere altera-
tionem em.

24.

Petitio.
Suarez.
Vasq.
Sotus.Resp.
Non est de
fide, nec si
dei proxi-
mum omnia
accidentia
realis, eo-
rumque mo-
dos man-
re.Explicatur
Trid.Obiectio
ex Trid.

Resp.

substantia, & sit sensus ita remanere accidentia, vt tota substantia panis intereat, siue remaneant omnia panis accidentia, siue non, quod ad refellendos hæreticos non erat necessarium.

ARTICVLVS VI.

Virum facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis?

Resp. neg.
Trident.

Scot. vult
panem consti-
tui in ratio-
ne panis
per formam
accidentialem.

25.

Ratio D.
Th. suppo-
nitur Tho-
mistarum
principijs
est difficilis.

NEGAT. quod est de fide, vt patet ex dictis art. 2. & ex can. 2. sess. 13. Concil. Trident. vbi definitur fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi. vnde si panis distinguatur formam substantialem à massâ, de fide est illam formam perire; si verò in ratione panis constituatur per formam accidentialem, & solo accidente distinguatur à massâ, (quod sentit Scotus) non est de fide perire formam quâ panis constituitur in statu panis, modò dicatur nihil remanere ad panis substantiam pertinens.

D. Th. tribus rationibus id probat: prima petitur ex formâ consecrationis, quæ ad sui veritatem requirit, vt sub speciebus totum corpus constituatur, atqui si remaneret forma substantialis panis, non constitueretur totum corpus, cum solum materia panis conuerteretur in materiam corporis Christi.

Aduerte hanc rationem iuxta principia Thomistarum parum valere; cum enim sentiant non dari formas partiales substantiales, atque ita corpus, prout est altera pars compositi physici, iuxta illos nihil dicat substantiale præter materiam primam, ad hoc, vt fiat conuersio in totum corpus Christi, ex allatâ proportionem non exigitur, vt forma panis desinat, cum ex vi verborum sub specie panis solum ponatur, quod est pars compositi physici.

Secunda ratio, forma substantialis panis deberet manere, vel in antiquâ materiâ, vel aliâ, vel separatâ; primum dici non potest, quia si ita esset, remaneret tota substantia panis, quod fidei repugnat, vt patet ex dictis. Secundum etiam dici nequit, quia cum forma substantialis panis sit materialis, postulat naturaliter inesse materiæ, ex cuius potentiâ educitur, atque adeò illa pereunte nõ nisi supernaturaliter potest existere, & alteri materiæ inexistere; non est autem fingendum miraculum huic mysterio minimè necessarium. Neque etiam tertium dici potest, cum non debeat fingi miraculum non necessarium huic mysterio, forma non debet dici supernaturaliter separari, & contra exigentiam naturalem; si autem dicatur naturaliter remanere posse separatam, iam erit constituenda forma intellectualis, cum formæ, quæ naturaliter possunt remanere separatæ à materia, sint intellectuales. ita quoad postremam partem vera est, & videtur intelligenda ratio D. Th. quæ alioquin est difficilis.

Tertia ratio est, quòd accidentia in hoc Sacramento remaneant, vt sub illis videatur corpus Christi, ergo non conuenit remanere formam substantialem panis, quæ magis connaturaliter designaretur per accidentia.

ARTICVLVS VII.

Virum ista conuersio fiat in instanti?

AFFIRMAT. quia fit ab agente infinite virtutis, neque repugnat ex parte termini fieri in instanti. porro illud instans est id, quo completur forma, in quo substantia panis primò non est, ita vt toto tempore præcedente fuerit, & in quo primò corpus incipit esse, quod instans videtur esse intrinsecum formæ, iuxta dicta quæst. 62. art. 1. dub. 4.

ARTICVLVS VIII.

Virum hæc sit falsa: ex pane fit corpus Christi?

TRADIT quosdam modos loquendi in hac materia, ex cuius doctrinâ aliquot regulæ possunt colligi ad explicandas varias Patrum sententias.

Prima est, propositio, in quâ ponitur præpositio, *Ex*, dicendo: *ex pane fit corpus Christi*, est vera & propria. ratio est quòd illa præpositio non solum possit designare causam materialem & subiectiuam, vel etiam effectiuam, sed in omni proprietate possit etiam designare terminum à quo, eiusque habitudinem, & transitum ex vno in aliud, quâ ratione propriè dicimus ex non ente fit ens, ex albo fit nigrum.

Secunda. similiter vera est, & propria hæc propositio: *panis conuertitur in corpus Christi*, & omnis alia per quam designatur conuersio & mutatio vnius in aliud, quia per huiusmodi propositiones solum designatur habitudo termini à quo, positiui.

Tertia. propositio, in qua ponitur præpositio, *De*, non est propria, nec in rigore est vera, quia illa præpositio addita alicui termino solet designare præpositio addita alicui termino solet designare causam subiectiuam vel saltem principium consubstantiale, vt cum dicimus, de materiâ ignis fit aer, designatur causa subiectiua formæ aeris, cui illa forma inest, designatur etiam aliquid vtrique termino commune, quod sub vtroque termino remaneat, cum vero dicimus: *Filius est genitus de Patre*, designamus principium consubstantiale Filio, similiter cum dicimus: *Filius est genitus de essentia Patris*, designatur aliquid Patri & Filio commune, quod in Patre se habeat tanquam principium quo generat filium, & quod ei communicat. panis verò neque est subiectum corporis Christi, neque se habet, vt causa illi consubstantialis. vnde si quando in Patribus inueniatur huiusmodi propositio, particula, *De*, est explicanda per præpositionem, *Ex*, vt cum Ambros. lib. 4. de Sacramentis c. 4. dicit *de pane fit corpus Christi*, solum enim vult per consecrationem panem conuerti, vel mutari in corpus Christi.

Quarta, impropria est locutio, quâ dicitur: *panis fit corpus Christi*, quia nihil est commune substantiale sub vtroque termino, ratione cuius dicitur vnum fieri aliud: aliqui tamen aliter sentiunt de hac propositione. Similiter est impropria locutio: *panis est corpus Christi*, quæ vt sit vera, debet hoc modo explicari, contentum sub speciebus panis est corpus Christi, vel, quod exterius habet similitudinem panis, est corpus Christi. Circa doctrinam

etiam horum articulorum praesertim tertij, & quarti quaedam sunt examinandas itaque

D V B I V M I.

Utrum in mysterio Eucharistiae actio aliqua circa corpus Christi reperitur?

ALIQVI videntur negare in conuersione panis in Christi corpus inueniri actionem circa ipsum corpus, ut Sotus dist. 9. quaest. 2. art. 4. §. ex hoc videtur, sed

Resp. affirmatiue. 1. id est conformius Patrum locutionibus. Hieron. epist. 85. ad Euagrium: *quis patitur mensuram, & videretur minister, ut supra eos se imundus offerat, ad quorum preces Christi corpus constituitur?* Amb. lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. *Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone constituitur.* Lib. 4. de Sacramentis c. 4. *de pane sit corpus Christi.* Emilianus homilia in Dominica palmarum ad illa verba, *canitibus autem eis: Ecce sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem & vinum virtute ineffabili in sui corporis & sanguinis substantiam conuertit.* Patres etiam frequenter tradunt panem mutari, transmutari in corpus Christi, quae non possunt fieri sine aliqua actione circa corpus. videri possunt citati art. 1. & 2.

2. Ex definitione panis non sequitur Christum esse sub speciebus, ut patet, nam Deus posset conseruare species sine villo subiecto, vel alia sub illis collocare.

3. Ex eo quod Deus destinat prebere concursum conseruationum respectu substantiae panis, non potest inferri substantiam corporis Christi esse sub speciebus, igitur ut illud corpus sub speciebus inueniatur, necesse est, ut circa illud aliqua actio intercedat. Conseruatio corporis Christi esse sub illis speciebus est effectus, aliquis realis de nouo eidem corpori competens, ergo requirit causam de nouo operantem: ex eo autem quod Deus destinat panem conseruare, non operatur quidquam de nouo, nec potest concipi, quid aliud sufficiat ad huiusmodi denominationem praeter actionem circa corpus Christi, ergo haec actio est omnino constituenda, sed explicandum restat, qualis sit haec actio.

D V B I V M II.

Qualis actio inueniatur in hoc mysterio circa corpus Christi, & quis sit eius terminus?

PLVRES sunt hac de re sententiae.

Prima censet hanc actionem solum esse adiectiuam, cuius formalis terminus sit praesentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus, ita ut per consecrationem nihil aliud producat in corpore Christi praeter reale praesentiam seu *ubi*, per quod fiat, ut corpus Christi, quod est in caelo, nec illud deserit, incipiat esse sub speciebus, sub quibus antea erat panis substantia, qua sententiam videtur tenere Pal. d. 11. q. 3. art. 2. ad 2. docens terminum huius actionis esse modum, quo Christus est in hoc Sacramento. Sotus dist. 9. q. 2. art. 4. ad argumenta Scoti, etiam si verbis videatur negare, videri potest §. quod si arguas, ubi censet hanc actionem ideo dici substantialem, non quia per eam substantia producat, sed quia ex se sit substantia productiva, qui discursus plane est probabilis, cum enim actio nihil sit aliud, quam via ad terminum, & fieri ipsius

termini, repugnat fieri accidētis posse esse fieri substantiae, & per consequens dici posse substantialem, quod possit esse via ad substantiam. Consecratio sua speciem, & conditionem essentialem sumit à termino ad quem, cum ergo actio substantialis, & accidētalis differant specie, non potest actio accidentalis, quae intrinsecè respicit accidēs pro termino ad quem respicere substantiam, quae fiat per illam eandem specie actionem. adde quod actio non sit productiva, sed productio & effectio. Citatur etiam Bell. lib. 3. de Eucharistia cap. 18. §. ex his colligitur, ex quo videtur omnino constare eum esse illius sententiae, cum dicat: Ex his colligimus conuersionem panis non esse productiuam nec conseruatiuam, sed adductiuam, quod explicans ait: *nam corpus Christi praesens sit ante consecrationem, sed non sub speciebus.*

Nec obstat quod in responsione ad obiectionem videatur aliam sententiam insinuare, quia nisi verba citata improprie sumantur, hanc sententiam clare indicat, quam censet non esse improbabile Suarez disp. 50. sect. 4. pro qua plures alij citari solent

Secunda sententia allerit per hanc actionem modum quandam substantialem produci in corpore Christi, ita dicuntur sentire quidam recentiores.

Tertia docet hanc actionem esse verè substantialem, & formalem eius terminum esse ipsammet substantiam corporis Christi reproductam. videtur S. Th. hic art. 2. docentis hoc mysterium non fieri per motum localem corporis Christi, sed per conuersionem panis in ipsum, quod non videtur posse solide explicari, si corpus Christi non reproductur, & actio non terminatur ad eius substantiam tanquam terminum formalem, cum corpus in hac propositione: *panis conuertitur in corpus Christi*, non denotet suppositum, & terminum qui actionis, sed debeat denotare terminum quo, & formalem. eandem tenet Suarez sect. citata, pro qua plures citat §. *quintus ergo modus.* Lessius lib. 12. de perfectionibus diuinis cap. 16. num. 114. & sequentibus, & alij; quae sententia videtur verior. vnde

Dico in hoc mysterio inuenitur actio per quam corpus Christi verè producat seu reproductur, atque adeo actio terminata ad ipsam entitatem, & substantiam corporis, quae rursum ponitur in rerum natura. pro quo

Suppono Dominum Deum ex infinita sua virtute posse rem eandem numero, non tantum semel, sed sepius constitui in rerum natura, non tantum postquam esse desijt, sed etiam dum existit, ita ut non solum possit tribuere de nouo existentiam rei quae interijt, sed etiam existentem sepius in rerum natura collocare, quod docet communius Philosophi, & nullam inuoluit contradictionem. hoc supposito

Probatur 1. conclusio, haec reproductio seu actio Prob. 1.

per quam idem corpus sepius producat, non est impossibilis, estque conformius dictis Patrum & Conciliorum eam interuenire, ergo &c. Secunda pars antecedentis Probatur 1. ex Patribus aliquoties citatis, quorum aliqui docent sacerdotes corpus Christi conficere, ad preces sacerdotum Christi corpus confici Hieron. epist. 85. ad Euagrium; Alij dicunt confici sermone Christi; Ambros. lib. de ijs, qui in mysterijs initiantur, cap. 9. Dicunt de pane fieri corpus Christi; idē Ambros. lib. 4. de Sacramentis c. 4. Dicunt Christum panem & vinum virtute ineffabili in sui corporis & sanguinis sui substantiam conuvertere; Emilianus homilia in Dominica palmarum. Panem mutari, transmutari, conuerti in corpus Christi; Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius & Damascenus, & alij citati in superioribus haec & si

M m

miles

Bellar.

Suarez censet probabile.

Secunda sententia produci modum substantialem in corpore Christi.

Tertia terminum esse ipsam substantiam corporis Christi reproductam. D. Thom.

Suarez, Lessius.

29.

Tertia descenditur.

Hieron. Ambros.

Emilianus, Cyrillus Hierosol., Damascenus.

miles locutiones designant Christi corpus non quomocumque poni in hoc Sacramento, sed per veram, & realem confectionem ipsius corporis; quod dici nequit, si nulla intercedat actio, quae respiciat corpus Christi, tanquam terminum *ad quem*, & cuius substantia ponatur per illam actionem. Non potest etiam dici de pane fieri corpus, si substantia corporis secundum se sit omnino inuariata. certe si quis nullam sententiam sit praecipuus, aduertatque id diuinæ potentiae non esse impossibile, ex his & similibus Patrum locutionibus colligit corpus Christi per consecrationem produci, cum, ut antea est notatum, corpus in huiusmodi conuersionibus non sit terminus *qui*, seu suppositum quod denominatur, sicut cum dicitur ignis fieri ex aëre, sed sit terminus formalis, & quidem qui non communicatur ulli, tanquam subiecto vel comparti.

Obiectio

Dices Patres per hoc solum voluisse denotare corpus Christi verè & realiter esse sub speciebus, & quidem ita, ut ibidem desinat esse panis substantia.

Resp.

Resp. non velle id quomocumque, sed quod fiat per veram conuersionem panis in ipsum, quod ibi fit, eod quod sacerdos illud conficiat. Confir. ex communi modo loquendi, quo dicitur sacerdotes habere potestatem Christi corpus conficiendi.

Florent.

Confimilis est locutio Concilij Flor. *substantia panis in corpus Christi & substantia vini in sanguinem conuertuntur.* Trid. sess. 13. cap. 4. *sumpta haec synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius.* quibus verbis aperte declaratur substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis, quae est conuersio.

Prob. 2.

Secundo probari potest ex ipsa forma consecrationis: *hoc est corpus meum*, quae ad sui veritatem requirit Christi corpus esse praesens speciebus; requirit etiam, ut panis desinat esse sub ipsa speciebus; cumque corpus Christi non deserat caelum, sequitur non fieri praesens per motum localem: similiter, cum panis conformiter naturis rerum & sine nouo miraculo non possit dici solum mutare locum & alibi existere, ut etiam ostensum est, conficitur ex illa forma colligi conuersionem panis in corpus, seu corpus Christi vi forma constitui sub his speciebus per conuersionem panis in ipsum, atque ita corpus esse terminum ad quem ipsius actionis, non verò aliquid, quod circa corpus exerceatur.

30.

Coroll. 1. Impugnatur productio *ubi*, qui sit terminus actionis adductiuæ.

Ex his videtur patere corpus Christi non poni in hoc Sacramento per actionem solum adductiuam. Confir. corpus Christi gloriosum non deserit caelum, ergo non potest hic poni per solum loci mutationem. 2. non extenditur eius praesentia à caelo vsq; ad species; ergo neque ex hoc capite potest poni per actionem solum adductiuam; per quam solum acquiratur localis praesentia. 3. neque videtur poni per solum productionem *ubi* seu modi, quo dicatur praesens speciebus, seu in eodem loco cum speciebus, etiam si non deserat caelum, nec sit in omnibus locis intermedijs.

1. quia id videtur parum conceptibile quomodo scilicet res alibi existens v. g. Romae incipiat esse Parisijs per solum productionem *ubi*, ita ut Romae permanens absque vlla sui mutatione substantiali dicatur esse Parisijs, quia producit modum seu *ubi*, per quod ibi silitur, & quod censetur rem ipsam ita afficere, ut illam intrinsecè denomi-

net. 2. siue ea ratio constituendi corpus praesens alicui loco, & rei, sit possibilis, siue non, non videtur minus mirabilis & difficilis, quam constitutio per reproductionem eiusdem, immò, supposita vtriusque possibilitate, & quod debeamus asserere corpus Christi alterutro modo constitui sub speciebus, videtur potius dicendum constitui per reproductionem, tum quia id magis sonant Patrum sententiae, tum quia id magis indicat potestas conficiendi Christi corpus, quae passim censetur competere sacerdotibus, similiter & transsubstantiatio: tum quia consideranti vtrumque modum, reproductio non maiores pariet difficultates; & de cetero facile apparebit, quod si eadem res numero debeat in locis distinctis, & discontinuis collocari, potius sit statuendum, quod collocetur per iteratam sui productionem, quam per solum productionem *ubi*, cum minus videatur mirum rem reproductam collocari in duobus locis, & habere duo *ubi*, quam absque vlla sui reproductione illa consequi.

Patet 2. non poni per productionem solius modi substantialis: nam ille modus substantialis inuentus est à suis authoribus, ut corpus Christi ita constituitur sub speciebus, ut ex modo, quo sub illis existit, non possit panis sub ipsidem existere; sed ut ex superioribus constat, talis modus minimè est necessarius, igitur non est constituendus cum aegre concipiatur, quis modus substantialis corpori Christi respectu specierum possit aduenire; nullus enim solide pro alio effectu vel fine fingi potest, quam pro specierum sustentatione; modus autem substantialis ad hoc non deseruit, ut patet in materia sustentante quantitatem, quae non sustentat intercedente modo substantiali, sed accidentali: praeterquam quod sit de fide accidentia panis sine subiecto existere, igitur non oportet assignare modum, per quem fiat, ut corpus Christi sustentet accidentia. Confir. si rei naturam spectemus, non sequitur: corpus Christi sustentat accidentia panis, igitur panis definit esse; ergo neque pro eo sine potest assignari modus, qui sit causa impossibilitatis corporis Christi cum pane sub ipsidem speciebus.

Patet 3. hanc actionem non habere pro termino solum conseruationem substantiae corporis Christi, quia per nudam conseruationem corporis, non habemus quod illud sit sub speciebus, cum per eam solum dici possit conseruari eo loco, in quo ante erat, v. g. in caelo. Confir. ratione huiusmodi conseruationis non potest dici, quod sacerdos conficiat corpus Christi, praesertim cum sacerdos dicatur illud conficere sub speciebus, ea autem conseruatio respiciat corpus Christi, ut est in caelo.

Sed obijci potest, quod Ecclesia verè & propria conuersione & transsubstantiationem colligat ex veritate verborum forma, ut patet ex Trid. sess. 13. c. 4. saepius citato; posita autem actione adductiuæ, quae ponatur *ubi*, seu modus praesentiae panis sub speciebus, verificatur forma, igitur ea sufficit ad transsubstantiationem.

Resp. ad maiorem ex dijs, ostendimus enim Ecclesiam colligere non quomocumque ex forma, sed supposito conuenientiori modo quo Deus potest operari, seu non suppositis varijs miraculis contra naturalem rerum exigentiam. vnde ad minorem

Resp. ad hoc non sufficere actionem adductiuam, nam supposito quod panis non cōseruetur, & quod corpus non deserat caelum, forma non potest verificari consentaneè naturis rerum per solum actionem adductiuam, quod ostenditur: forma ad sui veritatem requirit

requirit conversionem panis in corpus Christi; ergo hæc conversio habet pro termino *ad quem* corpus Christi, & non solam præsentiam localem, cum ratione solius præsentiae localis non posset dici habere corpus pro termino *ad quem*.

Ex his apparet, quod licet transubstantiatio, & conversio formaliter non sint actiones, aliquam tamen actionem requirunt, nihil enim potest dici in aliud transire, si nulla actio intercedat; & de illa actione, quæ exigitur circa corpus Christi, ut panis dicatur in illud converti, quaesivimus, & diximus esse actionem reproductivam corporis, per quod volumus declarare per illam actionem ita produci entitatem corporis Christi, ut tamen ea non sit prima collatio, seu effectio ipsius entitatis, cum entitas ante omnem consecrationem supponatur.

Quamvis autem ita sit, tamen ex rei natura non repugnaret per verba consecrationis suo modo tribui primò ipsum esse corporis, nō enim videtur repugnare, quò minus per consecrationem corpus Christi ponatur sub specie panis, licet secundum esse naturale quod habet in cælo desineret existentiam, spectatā rei naturā corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, non habet necessariā dependentiam à seipso existente in statu naturali.

Ex quibus videtur confirmari nostra conclusio: supponamus enim Christi corpus secundum suum esse, quod habet in cælo, desinere, esse tamen legitimos sacerdotes, qui verbis consecrationis à Christo institutis super pane cum legitima intentione utantur, eo casu corpus Christi ponetur sub speciebus per actionem substantialem, & habentem corpus Christi pro suo termino ad quem, cum eo casu nihil aliud commodè fingi possit; igitur & modo illa actio habet pro termino corpus Christi, cum consecratio, & actio per quam iam corpus Christi ponitur sub speciebus, non videatur dicenda habere alium terminum, quam tunc habere, certè voluntariè & sine sufficienti fundamento id fingi videretur.

Porro licet, quod diximus, ita videatur se habere, spectatā rei naturā si tamen suam Dei providentiam conformem naturis rerum spectemus, corpore Christi desinente esse secundum statum suum naturalem, videtur non ponendum in hoc Sacramento sub speciebus: nam cum hoc mysterium sit institutum mediāte Christi humanitate, illā desinente secundum statum naturalem, desineret, neque Deus censeretur concurrere cum sacerdote tanquam cum suo ministro ad illud ponendum in hoc Sacramento per verba consecrationis.

Quod paulò antè diximus transubstantiationē in suo conceptu non esse actionem, patet ex S. Th. art. 4. tum in corpore, tum responsione ad 1. dicētes: unde, cum hæc conversio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum una convertitur in alteram, est, sicut in subiecto, in vtrāque substantia, sicut ordo & numerus: igitur transubstantiatio formaliter est transitus ab vna substantiā in alteram; cum autem transitus non solum respiciat terminum à quo transitur, sed etiam terminum ad quem, D. Th. dicit, illum ordinem esse in vtrāque substantiā, ut in subiecto; quod non est ita rigidè accipiendum, sed secundum quandam similitudinem, quod videlicet, quemadmodum relatio, quæ est ordo terminorū inter se, quatenus spectatur ex parte vtriusque termini, v. g. relatio, quæ est inter patrem, & filium spectata non præcisè quatenus est relatio patris, sed cum relatione ex parte filij respondente, dici potest esse in vtroque extremo, ita ordo substan-

tiarū sibi succedentiū, quarum vna desinit, & altera acquirit esse, potest dici esse suo modo in vtroque termino, non tamē propriè, cum terminus qui desinit propriè non possit habere rationem subiecti.

D V B I V M I I I.

Utrum hæc productio corporis Christi in Sacramento Eucharistiae sit creatio, & destructio panis annihilatio?

Q UAMVIS iuxta sententias, quæ dicunt per consecrationem solum produci modum præsentiae in corpore Christi, vel quendam alium, facilis sit decisio prioris partis quaestionis, cum iuxta illas statim appareat respondendum negativè.

Difficultas tamē est in sententiā, quam secuti sumus, cuiusmodi sit actio, quā ponitur Christi corpus in hoc Sacramento, cum ex vna parte videatur esse creatio, utpote per quam tota entitas corporis producatur, nullo subiecto supposito, vel remanente. Ex alterā tamen parte corpus Christi fiat ex pane, tanquam termino à quo, & proinde non fiat ex nihilo, quod ad creationem requiritur.

Confir. corpus Christi in hoc Sacramento est terminus conversionis, & transmutationis panis in ipsum, igitur non videtur creati.

Respondeo nisi sit quaestio de nomine, posse dici creati. Probatur ex ratione creationis assignatā à D. Th. 1. parte quaest. 45. art. 1. communiter receptā, quod scilicet creatio sit emanatio totius esse ex non ente, seu quod sit productio rei ex nihilo, ubi ad veram rationem creationis nihil aliud videtur requiri, quam, ut res, quæ dicitur creati secundum se totam producatur, non verò supposito aliquo sui. ita enim explicant communiter auctores. Caiet. art. citato in fine dicens: oportet quod creatur ex nihilo sui fieri, id est post nihil sui. Molina eodem art. dicens: tertio modo sumitur creatio præse ac propriè sive pro productione seu actione rei non de aliquo subiecto, vel quod intrinsecum illi sit, vel à quo dependeat in suo esse. Valquez tomo 2. in 1. partem disp. 162. cap. 3. num. 10. creatio est productio alicuius ex nihilo & c. perinde autem est rem ex nihilo, tanquam termino à quo produci, atque nihil præexistere ante productionem, quod ad constitutionem illius rei quodammodo pertineat, vel quod idem est, atque rem fieri secundum se totam.

Suarez in metaphysica disp. 20. sect. 6. num. 11. docens ex nihilo vel negare subiectum, vel terminum à quo qui sit ens, & se explicans, addit: seu quod creatura ex se nullum omnino habeat esse nisi communicare, ex quibus & alijs patet ad rationem creationis solum requiri quod res secundum se totam producatur, ita ut nihil ipsius præexistat, in quo alterum cōfiteatur. Aliquo modo contineri, & quamvis inter Theologos, & Philosophos sit controversia, num illud: ex nihilo, involuat quendam ordinem successionis durationis, secundum quæ res, quæ dicitur creati, producatur in tēpore, & postquam fuit sub non esse sui totius, in materiā tamen de creatione nullus ita interpretatur particulam, ex nihilo, ut etiam dicat postulare absentiam omnis termini à quo positiui, qui sit deperendus, quod est planè conforme cōmuni conceptui creationis. cum enim creare sit rem ex nihilo educere ad esse, illam secundum se totam producere, ad hoc autem sit impertinens quod aliquid positiui præcesserit quod in illam rem convertatur, quod

Ordo substantiarū sibi succedentiū dici potest esse in vtroque termino.

32.

Suadetur esse creationem.

Suadetur etiam oppositum.

Conclus. Posse dici esse creationem.

Creatio quid secundum D. Th.

Caiet. Molina.

Valq.

Suaz.

Ad creationem est impertinens quod aliquid præcesserit, quod in id quod creati dicitur convertatur.

quod sit, vel non sit terminus positivus abijciendus, non obstat rationi creationis, & eo non obstante quod res, quæ producitur, sit terminus conversionis, quia aliquid in ipsam convertitur, potest dici creari, si secundum se totam & quilibet sui producatur: id autem in hoc mysterio contingit iuxta sententiam quam præcedenti dubio secuti sumus. Confitur, quia iuxta illam sententiam materia prima producitur, quæ communissima tum Philosophorum, tum Theologorum sententia solum accipit esse per creationem.

Dices corpus Christi præexistit huic mysterio, ergo in eo non creatur.

Quod corpus Christi alibi præexistat, non obstat quod minus secundum se totum producat.

Resp. neg. consequentiam: solum enim sequitur quod hæc productio non sit prima illius corporis creatio, non verò quod non sit creatio, nam quod corpus Christi alibi præexistat, non obstat quod minus secundum se totum hic producatur, & non præexistit tanquam subiectum præiacens, vel aliquid circa quod versetur actio, ita ut in corpore Christi existente aliquid producatur.

Dices. remanent species utriusque communes.

Resp. eas non obstat creationi, quia nec se habent ut subiectum respectu termini producendi, in cuius potentia censetur terminus contineri, nec sunt aliquid substantia intrinsecum, unde illis non obstantibus substantia corporis dicenda est secundum se totam produci, & proinde creari: quemadmodum si productis prius accidentibus sine subiecto, postmodum sub illis produceretur substantia nullo ipsius substantia præexistente, diceretur substantia creari, quia verè diceretur produci ex nihilo.

Satisfit argumentis pro negatiua allatis.

Ex his patet responsio ad ea quæ initio pro parte negatiua sunt allata: nihil enim in definitione creationis positum non dicit absentiam termini à quo positivi abijciendi, sed solum negationem alicuius positivi pertinentis ad terminum producendum, & impediens, quod minus res secundum se totam producatur. Similiter cum conversio non sit formaliter actio, sed transitus vius positivi in aliud positivum, non obstat creationi, si terminus, ad quem transitur, secundum se totum producatur, ita ut nihil remaneat utriusque commune.

33.

Deducitur creaturam posse assumi, ut instrumentum physicum creationis.

Aduerte quod, siue hæc reproductio vocetur creatio, siue non, si concedamus corpus Christi produci per verba consecrationis, tanquam per instrumentum physicum, attingens corpus actione physica, nullo modo negari possit creaturam posse assumi tanquam instrumentum physicum creationis; nam quod in aliqua actione abijciatur terminus, non reddit potentiam magis, vel minus proportionatam termino producendo: si ergo creatura possit assumi tanquam instrumentum physicum actionis, quæ terminus secundum se totum producitur cum abiectione alterius, ita ut per divinam potentiam possit ad hoc esse proportionata, per eandem potest esse proportionata tanquam instrumentum Dei ad eundem terminum producendum, etiam quando nullus terminus est abijciendus.

Confitur, causa improprietatis in creatura respectu creationis est petenda ex parte termini ad quem, & ex eo quod per creationem res educatur ex nihilo, igitur si in hoc mysterio terminus possit educi ex nihilo sui & secundum totam suam entitatem produci per creaturam tanquam Dei instrumentum, poterit etiam per eam produci, licet nihil sit abijciendum.

34. D. Thom. negat panem annihilari. Licet. Causæ.

De posteriori dubij parte dissentiant inter se authores, nam D. Th. præfati quæst. art. 3. negat panem annihilari: quod tenent Caiet. ibidem, Sorus

dist. 9. quæst. 2. art. 3. conclus. 2. Albertus dist. 10. art. 6. Rich. dist. 11. art. 1. quæst. 3. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 35. Suarez disp. 50. sect. 7. §. 1. *hileminis tamen, & plures alij.*

Alij censent annihilari: Ocham in 4. q. 6. dub. 7. Dur. dist. 11. quæst. 3. quamvis enim iuxta illius principia panis non possit dici annihilari, cum censet eius materiam remanere, censet tamen procedendo secundum communem sententiam, secundum quam perit tota panis substantia, panem annihilari. Maior eadem dist. quæst. 1. §. contra tertiam conclusionem. Gabr. quæst. 1. dub. 6. & in canonem Missæ lectione 41. quam sententiam Suarez sect. citata §. hanc sententiam, censet non improbare.

Resp. ex Gabriele quæst. citata videri questionem de nomine, neque authores videri in re inter se pugnare: qui enim dicunt annihilari, non intendunt docere panem in nihilum redigi, ita ut nullus terminus positivus sub eisdem speciebus succedat, nec volunt terminum succedere planè per accedens sub speciebus, sed tantum intendunt asserere nihil ipsius panis remanere, sed totam eius entitatem desinere esse, & desitionem hanc propriè habere pro termino ad quem formali non esse totius substantia panis, quod illis videtur sufficere ad annihilationem, quia videtur esse accidentarium annihilationi quod terminus succedat vel non succedat rei, quæ secundum se totam perit, cum ergo in hoc mysterio tota panis substantia pereat, quamvis succedat terminus positivus, illa desitio videtur posse dici annihilatio.

Confitur, quidquid desinit, videtur desinere per corruptionem, prout usu philosophico sumitur, vel per annihilationem: hæc desitio non potest dici corruptio, cum nihil remaneat substantia utriusque termino commune, vel quod pertineat ad constitutionem rei per modum subiecti: igitur videtur debere dici annihilatio.

Alij verò è contrario asserentes panem in hoc mysterio non annihilari, non intendunt asserere aliquid ipsius remanere, sed solum volunt non ita abire in nihilum, ut in ipso nihilo sistatur, sed quod panis in aliud convertatur, ad cuius productionem sequitur desitio panis, quæ propterea non sit dicenda annihilatio, ex quo patet sententias in re ipsa non videri differre, sed solum in modo loquendi, ubi

Aduerte posteriorem modum esse magis conformem Patribus, qui in hoc mysterio utuntur nominibus conversionis, mutationis, transmutationis, & agentes de pane, qui desinit esse, nunquam dicunt annihilari, sed in aliud converti: & proinde licet prior sententia quoad rem forte in rigore sit vera, modus tamen loquendi posterioris est retinendus. dici etiam potest quod annihilatio non tantum dicat desitionem totius rei, quæ dicitur annihilari, sed insuper connotet fitti in ipso nihilo, ita ut illa desitio non tendat aliud, seu non oriatur ex eo quod alius terminus producatur: cum ergo in præfati producatur terminus: dici potest in hac conversione illud esse singulare, & quod nihil remaneat termini à quo, sed secundum se totum destruat, & tamen non annihiletur, non defectu alicuius intrinseci, sed defectu connotati in ipso nomine annihilationis.

Quod si quis neget id in annihilatione connotari, non videtur magnopere contendendum, neque posterior sententia videtur vilo modo errare: nec meretur reprehensionem, qui dicit, quod alia mutatio, quæ coniungitur desitioni rei, non mutat eius naturam, & conditionem, & quod non ideo desitio

Sor. Albert. Alan. Suarez. Affirmat. Ocham. Durand.

Main. Gabr.

Rej. hanc. dicit. videri. quæst. de nomine.

Sententia D.D. in proposito tantum dicitur terminum in modo loquendi.

Posteriori modo loquendi est conformior Patribus.

Licet nihil maneat termini à quo, non dicitur annihilari, defectu connotati in voce annihilationis.

defectio debeat perdere rationem annihilationis, quod aliqua mutatio alterius termini illi conne-
ctatur, sed ea peti debeat à formali termino motus, qui est non esse totius rei, siue per aliam mutatio-
nem succedat terminus aliquis, siue non. vbi

Notandū in conuersione panis in corpus Christi duplicem mutationem inueniri, vna est panis, per quam panis secundum esse sui desinit, quæ mutatio vocari potest priuatiua habens pro termino à quo totum esse panis, pro termino vero ad quem hō esse totius substantiæ panis; altera mutatio positiua est respectu corporis Christi, per quā corpus Christi acquirit esse secundum se totum quoad hanc replica-
tionem, cuius mutationis terminus à quo est non esse corporis Christi secundum hanc replicationem, terminus vero ad quem est corpus Christi secundum hanc replicationem. qui posteriorem sententiam sequentur, dicent naturam annihilationis specta-
dam ex ipso formali termino mutationis priuati-
uæ, secundum quam res desinit secundum se totā, non verò considerandam mutationem coniun-
ctam, vel eius terminum, quamquam communis
modus loquendi Patrum aliud videatur siadere, cui potius insistendum censco.

Predictus modus explicandi, quod panis in hoc my-
sterio nō annihilatur, videtur praeferendus illi, quē aliqui adferunt, dicentes ideo non annihilari, quia desinit esse ex vi productionis physicae, quā acci-
dentia panis ab illo separatur. id enim minus com-
mode dicitur, primò si panis ideo desineret, dicen-
dus esset non conuerti in corpus Christi, sed in il-
lum modum se habendi accidentium, cum talis
modus primariè intentus & ad cuius productionē
sequitur defectio panis, deberet dici terminus for-
malis conuersionis panis. 2. si panis desineret esse
sub speciebus, nullā aliā intercedente mutatione,
diceretur annihilari, ergo iam non potest dici non
annihilari, eò quod accidentia ab eo separantur,
cum separatio accidentium, quæ iam intercedit,
non magis, vel minus obstat annihilationi, quā
tunc obstatet. 3. non obstante illo modo tota sub-
stantia verè desineret.

DV B I V M IV.

*Utrum in transsubstantiatione seu conuer-
sione necesse sit mutationem aliquam in
vtroque extremo inueniri?*

OCcasione huius mysterij, in quo constat
substantiam panis desinere, & inueniri aliquā
mutationē in Christi corpore, petitur num in omni
conuersione ita requiratur mutatio vtriusq; extre-
mi, vt absque illa conuersio esse nequeat?

Notandum, quod licet mutatio pressius sum-
pta conueniat subiecto, quod per accessum vel re-
cessum formarum dicitur mutari, aliquando ta-
men tribuatur ipsis terminis qui aliter se habent
postquam antè, siue quia incipiunt esse, postquam
non fuerunt, & ita mutantur de non esse ad esse, si-
ue quia desinunt esse, postquam fuerunt, & mu-
tantur de esse ad non esse. hoc præmissis

Respondeo in omni conuersione, per quam vnū
dicitur in aliud cōuerti, requiri vt aliqua variatio,
seu mutatio in vtroque termino inueniatur. Pro-
batur. conuersio essentialiter dicit transitum vnus
in aliud, qui transitus fieri nequit, si nulla in extre-
mis intercedat mutatio, nam repugnat aliquid pla-
nè inuariatum esse terminū à quo transitus in aliud,

seu absq; omni sui mutatione dici transire in aliud:
similiter repugnat aliquid planè inuariatum esse
terminum ad quem, seu terminare conuersionem
alterius in se. Confit. vt aliquid dicatur conuerti in
aliud, debet aliqua actio interuenire, quæ respiciat
id, in quod aliud conuertitur tanquam terminum
ad quem, & à quā actione denominetur per mo-
dum termini; non potest autem fieri, vt idem ma-
nens inuariatum recipiat nouam denominationem
per modum termini actionis, igitur in termino ad
quem, requiritur, aliqua mutatio. Probatur minor,
non videtur conceptibile, quomodo res omnino
inuariata potius iam terminet actionem, quæ di-
citur illam respicere, & ad illam tendere, quā an-
te: itē cur potius sit terminus actionis, & conuer-
sionis, quā qualibet alia. Idem discursus propor-
tione potest applicari termino à quo, quod videli-
cet sit inconceptibile, cur potius hæc res omnino
inuariata dicatur terminus à quo actionis, quā
qualibet alia.

Dices aliquid dici posse terminum ad quem, eò
quod aliud in ipsum desinat.

Resp. id dici non posse, nisi aliqua variatio in
ipso reperiat; nihil enim potest in aliud desinere,
nisi terminus ad quem aliquo modo fiat, non potest
autem fieri sine sui variatione.

Dices, secunda Trinitatis persona est terminus
assumptionis absque vlla sui mutatione; ergo non
repugnat aliquid esse terminum ad quem conuer-
sionis, quamuis nullo modo mutetur.

Resp. neg. consequentiam, quia Verbum, seu se-
cunda persona Trinitatis in Incarnatione non est
terminus formalis actionis qui dicatur fieri per a-
ctionē, sed est terminus rei ad quam tendit actio;
nam Incarnatio, vt dicit actionem, tendit ad natu-
ram humanam vniendā Verbo, cuius actionis for-
malis terminus non est Verbum, sed natura humana
à verbo terminata; in cōuersione verò id quod est,
& dicitur terminus ad quem, non potest fortiri hæc
denominationē, nisi aliqua circa ipsum intercedat
actio, & proinde, nisi aliquo modo mutetur.

Dico nisi aliquo modo mutetur, quia non vide-
tur requiri, vt terminus ad quem de nouo incipiat
quoad entitatem, sed sufficit mutatio, per quam
nouo modo dependeat, v.g. caro antea existens po-
test esse terminus, ad quem, conuersionis panis in
ipsam, ex eo quod noua actio incipiat depēdere:
quod dupliciter fieri potest. 1. desinente antiquo
influxu, ita vt si hæc actio non poneretur, res desi-
neret esse. 2. antiquo influxu remanente, ita vt res
quæ antea vnica actione producta fuerat, vel con-
seruabatur, incipiat duplici actione perferuare &
dependere duplici dependentiā: qui modus non vi-
detur impossibilis, quamuis aliqui eum negent.
Idem proportionē dicendū de termino à quo, quod
scilicet non requiratur vt desinat quoad entitatē,
sed sufficiat si tollatur antiquus concursus ex eo
quod aliud fiat, & talis terminus dicatur in aliud
transire, quamuis eodem temporis instanti inci-
piat conseruari per nouum concursum, v.g. ad hoc
vt panis dicatur terminus à quo conuersionis panis
in carnem, non videtur requiri, vt desinat ipsa en-
titas panis, sed quod desinat antiquus cōcursus per
quem panis conseruabatur, cum quo potest consi-
stere quod eodem temporis instanti incipiat re-
manere, in ferum natura per nouum concursum.

Quāuis verò cōuersio vnus in aliud ita fieri pos-
sit in superioribus tamen bene deduximus corpus
Christi, in mysterio Eucharistiæ reproduci quoad
substantiam, & panem desinere esse; & quidē cor-

Verbum in
Incarnatio-
ne non est
terminus
formalis
qui dicitur
fieri per a-
ctionem.

Ad conuer-
sionem nō
videtur re-
quiri, vt
terminus
de nouo
incipiat
quoad en-
titatem.

us Christi produci colligimus ex rationibus dub. 2. factis; panem verò desinere ostendimus ex eo quod, cum substantia corporea non possit naturaliter perseverare destituta suis accidentibus sensibilibus, naturæ ordo postulet, ut illa desinat. mysterium autē Eucharistie non requirit, ut nouo miraculo panis permaneat sine suis accidentibus; cum ergo Deus non multiplicet miracula huic mysterio non necessaria, sequitur quod desinat panem conservare, & quod substantia panis desinat esse, siue conversio ipsius in corpus Christi fieri possit eo remanente in rerum naturā, siue non.

D V B I V M V.

Utrum ut aliquid in aliud convertatur, requiratur aliquod tertium utriusque commune?

38.

CONSTAT illud commune reipsa inueniri in omni conversione, cum in hoc mysterio inueniantur species utriusque termino communes, licet differenter: similiter in omni conversione naturali id necessarium reperitur, cum agens creatum non possit saltem naturaliter operari sine subiecto vel quasi subiecto, & satis constat in conversionibus accidentalibus inueniri idem subiectum, quod sub utroque termino remanet, in substantialibus remaneat eadem materia, in mutatione locali vel remaneat idem subiectum quod loco mutatur, vel inueniatur idem locus successuē diuersa recipiens; cum ita se res habeat, queritur nūm ita sit necessarium huiusmodi tertium commune, ut ne quidem de potentia absolutā Dei, conversio aliter fieri possit.

Negativa
suadetur.

Quibusdam id non videtur requiri: cum transsubstantiatio vnius rei in aliam non fiat propter formalem repugnantiam vel oppositionem terminorum inter se, seu quam habeant ex natura rei, sed ex Dei voluntate, eadem Dei voluntas videtur sufficiens, ut mutationes dicantur inter se habere ordinem & connexionem quatenus subsunt tali intentioni, atque adeo termini ex illā hypothese possunt dici sufficienter sibi inuicē repugnare. Itaque connectio desitionis vnius rei cum positione alterius in transsubstantiatione iuxta illā sententiā peti potest ex intentione Dei volentis vnam rem destruere, ut alia producatur, quamvis nihil commune remaneat, quam sententiā indicat Scotus dist. 11. q. 1. §. de primo. ubi transsubstantiationē ita definit ut ad illam nihil commune requiratur.

Indicat
Scot.

Contraria tamen sententiā videtur probabilior quam tenet Scotus dist. 9. q. 2. art. 2. ad 3. Suarez disp. 50. sect. 2. §. quinta conditio.

Affirmati-
ua probabi-
lior.
Sotus.
Suarez.

Probatur. mutationes, quæ ad conversionem requiruntur, debent aliquo modo inter se vni, quod non videtur fieri sine aliqua connexionē terminorum in tertio, v. g. ut panis dicatur converti in corpus Christi, desitio panis, & positio corporis Christi debet aliquo modo vni inter se, alioquin solum erit aggregatum mutationum; hæc autem vniō non apparet, neque videtur commodè explicari, si nihil tertium commune reperiatur, sub quo desinat esse panis & incipiat esse corpus Christi: similiter non apparet ordo inter illas mutationes, & cur panis potius dicatur converti in corpus Christi, quam quodlibet aliud, quod illo instanti desinit.

Negativa
argumentū
soluitur.

Nec videtur omnino satisfacere, si quis dicat ideo panem converti & non aliud, quia Deus de-

struit panem ex voluntate ponendi Corpus Christi, quam voluntatem non habet respectu alterius, quod forte eodem tempore destruit: quia si velit eodem planē tempore plura destruere & vnum ali- quod ponere, ibi sistendo, agere concipitur quod desitio vnius ordinetur ad positionem alterius, & desitiones aliorum se habeant impertinenter & solum concomitantur: verius ergo est quod ad conversionem requiratur aliquid commune in quo vel sub quo, vno desinente, aliud ponatur.

D V B I V M VI.

Utrum quodlibet possit converti in quodlibet?

SUPPONO naturam diuinam non posse in aliud converti, nam, ut patet ex terminis, quod convertitur in aliud debet saltem aliquam mutationem recipere, quod repugnat diuinæ naturæ omnino immutabili, ut fides docet. hoc supposito

39.

Tres sunt hæc de re sententiæ. Prima est aliquid posse converti in ipsam deitatem; ita videtur sentire Caiet. quæst. 2. 3. partis art. 1. quamvis enim aliqui eum velint excusare, quod solum velit rationem, quā vtitur S. Thom. loco citato, non habere locum in conversione totius substantiæ; verius tamen est eum sentire quod aliquid in deitatem converti possit, id enim tacite insinuat.

Prima sen-
tentia. al-
iquid possit
converti in
deitatem.

Secunda sententiā docet nullam creaturam posse converti in deitatem, sicut in adequatum & integrum terminum conversionis, posse tamen converti sicut in aliquod ipsius termini.

Secunda
non possit
converti in
deitatem
ut in
integrum
terminum.

Tertia censet absolute nihil posse in Deum converti, sed quidlibet creatum posse converti in quidlibet aliud creatum. ita Scotus dist. 11. quæst. 2. §. hæc quæstio, & alij.

Tertia de-
soluitur: ca-
gat.

Dico 1. nihil potest converti in deitatem siue tanquam in terminum adequatum, siue tanquam in inadæquatum & aliquid ipsius termini. patet ex dictis dub. 4. ubi ostendimus ad conversionem requiri quandam variationem etiam in termino ad quem, quæ ratio non tantum habet locum in termino adequato, sed etiam in inadæquato, si verè sit terminus conversionis.

Conclusio.
Nihil pos-
sit in Deum
converti
nec ade-
quate, nec
inadequa-
te.

Obijci potest, quod posset dici, hoc est corpus desicatum, eo autē casu panis converteretur in deitatem, tanquā in aliquid termini, ergo &c. Minor probatur, eo casu deitas non esset sub accidentibus solum per concomitantiam sed ex vi verborum, ergo per conversionem panis in ipsam, nam quod ponitur ex vi verborum sub accidentibus est terminus conversionis.

Resp. neg. minorem, ad probationem dico verba quoad illam partem: desicatum, non esse practica, sed solum speculatiue vera, & proinde non esse quoad illam partem efficaciam, id est designare quidam deitatem ibidem esse, & illam habere pro parte obiecti, sed eam solum speculatiue respicere, vnde in forma

Resp. neg. esse ex vi verborum iuxta sensum, quem hæc oratio communiter reddit; nam per illā loquendi formam designatur verba esse causam præsentis eius, quod enūtiat, cum ergo verba circa deitatem nihil possint, dico quod deitas non sit dicenda etiam in casu obiectionis esse sub speciebus panis ex vi verborum, quamvis, si illa esset capax mutationis, per verba sub illis poni posset.

Dico

Dico 2. qualibet substantia corporea completa potest in aliam corpoream conuerteri, quia potest desinere esse ex eo quod alia sub eius accidentibus ponatur: quemadmodum enim in mysterio Eucharistia corpus Christi ponitur sub speciebus panis, ita qualibet alia substantia corporea ponitur tanquam designabilis per huiusmodi species.

Porro substantia completa corporea non tantum potest conuerteri in aliam completam, sed etiam in incompletam, patet in mysterio Eucharistia, in quo panis conuertitur in corpus Christi, quod est substantia incompleta.

Confir. non tantum substantia completa potest designari sub accidentibus prioris substantia, sed etiam incompleta, v. g. dici potest, hoc est anima equi, hoc est materia; ex quo patet quod substantia completa possit conuerteri in materiam primam, item in formam, immo in accidentia, quia nihil repugnat quo minus accidentia aliqua succedant sub accidentibus substantia, quae destruitur, & quidem ex intentione ponendi illa tanquam designabilia per accidentia substantia quae destruitur, v. g. quantitas potest produci sub albedine panis, tanquam designabilis per albedinem.

Dico 3. una materia potest conuerteri in aliam, similiter & forma in aliam. nam forma posita sub quibusdam accidentibus potest destrui, ut alia sub iisdem ponatur, similiter & materia, materia etiam potest conuerteri in formam, & forma in materiam, item forma, vel materia in compositum, seu substantiam completam, quia vnumquodque horum potest poni sub accidentibus, sub quibus aliud naturaliter vel supernaturaliter erat constitutum, potestque per illa accidentia designari.

Dico 4. potest etiam accidens sub alio latens conuerteri in substantiam materialem completam vel incompletam, immo & in aliud accidens, patet ex ratione superiorum conclusionum.

Dico 5. potest etiam corpus conuerteri in spiritum, si videlicet corpus destruitur, ut spiritus ponatur sub illius accidentibus tanquam designabilis per illa, hoc modo potest etiam materia vel forma, item accidens conuerteri in spiritum.

Dico 6. potest etiam spiritus conuerteri in corpus, vel etiam in alium spiritum, similiter in accidens. Probatur fieri potest, ut sub accidentibus quibus designabatur spiritus substitueretur alius spiritus per illa designabilis, vel constitueretur corpus vel accidens: quamuis enim accidentia sensibilia non possint naturaliter spiritum afficere, nihil tamen repugnat quo minus spiritus supernaturaliter sub illis ponatur, & postmodum constituitur alius spiritus per illa eadem designabilis. Similiter constituitur corpus quod sub iisdem accidentibus succedat spiritui, similiter & aliquod accidens.

Ex quibus patet aliquo tandem modo quilibet creatum posse conuerteri in quolibet creatum.

Et haec, quae hactenus dicta sunt, fieri possunt per formam sensibilem consimilem formae consecrationis: quemadmodum enim forma: hoc est corpus meum, exigit, ut sit corpus Christi designabile sub speciebus panis, ita similis forma exigit ut id ponatur sub accidentibus, quod per huiusmodi formam enuntiat, & proinde ut spiritus, corpus, accidens vel aliud simile quod antea latebat sub accidentibus, desinat esse sub illis, quod cum non necessario alibi sit consecrandum, Deus potest de-

sinere illud conseruare, atque adeo potest conuerteri in id quod sub accidentibus succedit. quamuis enim non sit talis oppositio inter spiritum & spiritum, vel inter spiritum & corpus, ut si ponatur alius spiritus vel corpus sub accidentibus, sub quibus spiritus antea latebat, necessario desinat esse spiritus, cum etiam naturaliter posset alibi conseruari; nihilominus Deus potest illum destruere, quia alium spiritum vel corpus producit sub iisdem accidentibus, ita ut velit desinere spiritum conseruare, quia producit aliud sub accidentibus; sub quibus antea erat huiusmodi spiritus, sed

Difficultas est, num ad conuersionem vnius substantia in aliam opus sit illa forma verborum sensibili. Aliqui asserunt, Deum non posse aliter conuertere substantiam in substantiam, cum enim inter substantias non sit oppositio ex natura rei, illa debet oriri ex eo quod forma verborum requirit, ut res in quam dicitur conuertenda, sit praesens sub accidentibus alterius sub quibus altera consistere nequeat posita veritate formae, nec etiam possit alibi existere (saltem naturaliter) suis accidentibus destituta: unde dicunt spiritum non posse conuerteri in spiritum, vel etiam in corpus, quia posito spiritu vel corpore sub sensibilibus accidentibus sub quibus antea erat spiritus, & desinente spiritu sub illis latere, is potest etiam naturaliter alibi existere. Verum non videtur Dei potentia ad huiusmodi instrumentum, & ad demonstratiuum verborum formam restringi; sed videtur posse sola voluntate, etiam nullo sensibili instrumento, per quod demonstretur esse aliquid sub accidentibus, vnum destruere, quia sub aliquo communi aliud ponit, hac enim ratione desinit vnius & positio alterius alicuius inter se habent connexionem & ordinem, nec plane per accidens se mutuo respu-
ciunt.

Potest deus
vnam sub-
stantiam in
aliam con-
uertere sine
vlla verbo-
rum forma
sensibili.
Sufficeret
quod sub
aliquo co-
muni aliud
poneret.

QUESTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento.

ARTICVLVS I.

Utrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento?

RESPONDEO articulo quare D. Th. in genere num totus Christus contineatur in hoc Sacramento, saltem sub vtraque specie simul sumpta?

Respondet autem affirmatiue, quod est de fide, ut constabit ex dicendis art. sequenti. tradit etiam Patres, Ambros. lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. in illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Hieron. epist. 150. ad Eubiam quaest. 2. ipse conuiuium & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur. August. concione 1. in Psal. 33. ferebatur manibus suis quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus manibus suis.

Resp. affir.
Est de fide
Christum
totum con-
tineri.
Ambros.
Hieron.